EPHEMERIDES LITURGICAE
PUBLICATIO MENSILIS

Annus XV. Augustus-September 1901. N. 8-9.

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

I.

1. *Semel coniunctis hymnis historicis in festo, non amplius coniungendus est hymnus impeditus ceteris diebus Octavae.*

2. *Doxologia* Iesu, tibi sit gloria *dicenda est in Vesperis, etsi sola habenda sit, post hymnum dictum, commemoratio officii illam exigentis.*

LAURETANA.

Hodiernus Ordinator Calendarii pro Clero Basilicae et dioeceseos Lauretanae, de consensu sui R.mi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. Quarta die infra Octavam, et die octava Nativitatis S. Ioannis Baptistae, debetne Vesperarum hymnus, qui iam in festo dictus est, coniungi cum hymno Matutini, sub unica conclusione, prout factum est in festo, iuxta Rubricas Generales, *Tit. XX, num. 3?*

II. Hymnus de secundis Vesperis in festo SS. Simonis et Iudae Apostolorum, debetne concludi cum doxologia *Iesu, tibi sit gloria,* si in eisdem Vesperis facienda sit commemoratio Officii votivi de SS.mo Eucharistiae Sacramento, vel de Immaculata Conceptione B. M. V. in crastina die celebrandi?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, ita rescribendum censuit:

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Affirmative,* iuxta Rubricas generales Breviarii, Tit. XX, num. 4. [1]

Atque ita rescripsit, die 2 Iulii 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen. S. R. C. *Secret.*

[1] Rationes alibi hisce in Ephemeridibus adductae (vol. XI, ann. 1897, N. 6, pag. 342 et seqq.), ad concludendum in favorem affirmativae sententiae, sanctionem nunc a Suprema Auctoritate recipiunt, et proinde opinio in certitudinem transiit.

Redactio.

II.

1. *Sacrista, vel Acolythus, nequit media cordulae distensione, aut relaxatione SS. Sacramentum in tabernaculo expositum discooperire aut velare.*

2. *Nequit SS. Sacramentum ante Missam exponi ac velari, et post* Aufer a nobis, *ut dictum est supra, ostendi et thurificari.*

3. *Diaconus in Missa solemni librum Evangeliorum* in medio *altaris collocare debet.*

4. *Post S. Sanguinis sumptionem, ablutio statim sumenda est, etiamsi reliquiae nonnullae maneant in calice.*

5. *Subdiaconus, post Epistolam, benedictionem a Celebrante recipere debet ante eum genuflexus in suppedaneo, e cornu Epistolae, Aram habens a dextris.*

6. *Etiam Sacramento exposito, Celebrans et Ministri ad sedendum accedent per breviorem.*

7. *Nisi constet de Indulto, post Constit. Apost. an. 1898, nequit cantari Missa* Salve, radix, *singulis in Sabbatis, ubi adest Sodal. SS. Rosarii.*

8. *Extra necessitatis casum, non licet uti instrumento ad ungendos infirmos, aut pueros in baptismo.*

9. *Relinquitur Ordinarii placito Vesperas secunda vel prima hora noctis canere, in casu speciali.*

10. *Altare* Sepulcri *non debet esse Altare maius, in eoque non sunt apponenda ostensoria, etc., ad ornatum.*

11. *Acolythus ad elevationem thurificare nequit e parte Evangelii.*

12. *Quando chorale officium non persolvitur, non prohibentur plures Missae cum cantu, de eodem Sancto vel mysterio.*

COLIMEN.

R.mus D. Iosephus Amator Velasco, Dioeceseos Colimen. Vicarius Gubernator, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime proposuit; nimirum:

I. Variis in Ecclesiis Dioeceseos Colimen. iam inde ab immemorabili tempore mos viget, iuxta quem in expositione SS. Eucharistiae Sacramenti velum extensum in tabernaculo expositionis plicatur; et ipsum in repositione explicatur, media cordulae

cuiusdam distensione in expositione, aut relaxatione in repositione; quae omnia a sacrista vel acolytho peraguntur; quaeritur: An continuari possit haec praxis?

II. Item, moris est, ante Missam solemnem, post cereos accensos, in throno expositionis ostensorium cum SS.mo Sacramento collocare, super quod velum explicatur ad cooperiendum, donec, vel incepta Missa, et *Aufer a nobis* dicto, Sacerdos thurificat: in cuius thurificationis actu, praevia eiusdem veli plicatione, ut dictum est, expositio absque ullo cantu fit. Huiusmodi usus probandusne est?

III. Rubrica dicit: ...*delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad altare;* haec verba *ad altare* interpretandane sunt *in medio altaris?*

IV. Post sacrosancti sumptionem Sanguinis et ante ablutionem, quaedam consecrati vini particulae in calice manent; quaeritur: an in casu ablutio sumenda sit, vel iterum admovendus sit calix ori celebrantis, ut eae reliquiae Sanguinis singillatim sumantur?

V. Ubinam genuflectere debet Subdiaconus, ut Celebrans eum benedicat, post cantatam Epistolam, an inter aram et Celebrantem in suppedaneo, an potius inter parietem et ipsum Celebrantem in plano?

VI. Cum Rubricae dicant, quod Celebrans et Ministri in Missa solemni pergere debent ad sedendum per breviorem, an permitti possit in Missa cum Sanctissimo Sacramento exposito per longiorem recedere in eundo ad sedilia?

VII. Quadam in Ecclesia huiusce Dioeceseos, ubsodalitas SS. Rosarii canonice est erecta, per sabi bata singula, uno dempto, scilicet sabbato maioris Hebdomadae, Missa *Salve, radix sancta* canitur. Quaeritur: an locum habere possit haec Missa in omnibus sabbatis, post Constitutionem Apostolicam *Ubi primum,* sexto nonas Octobris anno 1898 editam?

VIII. Servarine licebit consuetudo instrumento quodam utendi ad ungendos infirmos; similiter et pueros baptizatos, quamvis periculum contagionis non adsit?

IX. Licetne canere Vesperas secunda vel prima hora noctis, atque in illis Sanctissimum exponere, ea de causa scilicet, quia Ordinarius permittit expositionem in Vesperis?

X. An tolerari possit Feria V in Coena Domini altare maius Ecclesiae Sepulcri altare esse; necnon in ipso altari Sepulcri ostensoria, calices et ciboria ornati causa exponere?

XI. Quum Diaconus a cornu Epistolae Sacerdoti assistat ad elevationem, permittine potest acolytho Sanctissimum a parte Evangelii thurificare?

XII. Quando Ecclesia Cathedralis officium chorale non persolvit, quia Capitulo caret, plures Missae eadem die et de eodem officio cantarine possunt?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I et II: *Negative.*

Ad III: *Affirmative,* seu *in medio altaris.*

Ad IV: Servetur Rubrica Missalis.

Ad V: *Affirmative* ad primam partem[1], *Negative* ad secundam.

Ad VI: Serventur Rubricae.

Ad VII: *Negative*, nisi constet de Indulto.

Ad VIII: Servetur Rituale Romanum, et dentur Decreta *num.* **3051**, *Portus Aloisii*, 9 Maii 1857, ad II[2], et *num.* **3276**, *Toletana*, 31 Augusti 1872, ad I, III et IV[3].

Ad IX: Pro prudenti Ordinarii placito.

Ad X et XI: *Negative*.

[1] Subdiaconus igitur benedictionem post Epistolam a Celebrante accepturus, genuflectere debet in suppedaneo, non in plano, neque in gradu inferiori, ante Celebrantem ipsum, qui ad eum parumper convertitur, et ante ipsam Aram, quae ad dexteram eiusdem Subdiaconi manet. Hoc animadvertisse iuvabit, eo quod verba in dubio allata *inter Aram et Celebrantem*, non sunt accipienda stricto sensu, quasi deberet Celebrans se retrahere ad locum Subdiacono suppeditandum, sed quasi dicerent infra angulum a Celebrante et Altari efformato.

Redactio.

[2] " II. Circa Extremae Unctionis administrationem Libellus inscriptus: Ordo administrandi Sacramenta ex Rituali Romano extractus, et iussu Episcoporum in Anglia adhibendus, dicit: *Intincto stilo vel pollice in Oleo Sancto*, etc. Quum vero Theologorum non una sit sententia circa consuetudinem adhibendi stilum in hac Sacra Unctione, et Theologi ipsi concludant, quod quisque sequatur usum Ecclesiae suae; quaeritur: Utrum in Dioecesi ista Portus Aloisii, in qua invaluit usus stilum seu virgulam argenteam adhibendi in administratione Extremae Unctionis, usus ipse tuto continuari possit? *Resp.:* Negative, excepta necessitatis causa. „

[3] " I. Attenta praxi communi et perantiqua utendi penicillo seu virgula argentea in administrando Baptismi Sacramento in Ecclesia, loco pollicis manus dexterae, abolenda ne erit huiusmodi consuetudo, utpote contraria Rituali Romano? *Resp.:* Affirmative, excepta necessitatis causa, iuxta Decr. S. R. C. in una *Portus Aloisii*, d. 9 Maii 1857, ad II. „ — " III. Utrum possit continuari consuetudo administrandi sanctum Sacramentum Extremae Unctionis, utendo penicillo seu vir-

Ad XII: *Affirmative,* iuxta Decretum *num.* **3921,** diei 30 Iunii 1896[1].

Atque ita rescripsit, die 12 Iulii 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

Festum aut Officium S. Barnabae Ap., in occursu, concursu et repositione ratione dignitatis, ceteris paribus, praeferendum est festis aut Officiis aliorum Sanctorum.

ROMANA.

In ordine divini Officii recitandi Sacrique peragendi pro anno 1901, ad usum R.mi Capituli et Cleri Patriarchalis Basilicae Vaticanae, ad diem 11 Iunii, festum S. Barnabae Apostoli dupl. mai. habet integras Vesperas, in concurrentia cum festo S. Leonis III Pont. Conf. eiusdem ritus et aeque primario. Quum vero circà has Vesperas ita dispositas aliqua exorta fuerit dubitatio, quidam calendaristae

gula argentea, generaliter et extra casum necessitatis, loco pollicis intincti in Oleo Sancto, iuxta praescriptum in Rituali Romano? „ — " IV. An praedicta praxis servari liceat extra casum necessitatis, saltem quando Unctio Extrema ministratur sine populi concursu? *Resp.* ad III et IV: Provisum in primo. „

[1] " Plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Ecclesia prohibitas, illas esse quae, praeter Conventualem nunquam in Collegiatis Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali conciuuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter praefatas Missas sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale Officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse vetitas. „

a Sacrorum Rituum Congregatione opportunam declarationem super dignitate S. Barnabae Ap. in Sacra Liturgia humillime expostularunt [1].

Et Sacra eadem Congregatio, porrectis precibus annuens, circa huiusmodi quaestionem, praehabito voto Commissionis Liturgicae, exquisivit etiam specialiter suffragia duorum ex suis Consul-

[1] Tota ratio ortae difficultatis circa qualitatem apostolatus S. Barnabae in hoc sita est, quod Apostoli, a Christo Domino constituti, duodecim sunt, quibus adiectus est vocatione divina per ipsum Christum Iesum, post suam adscensionem S. Paulus, qui cum S. Petro principatum est meritus apostolorum. Barnabas vero neque ab Ecclesiae Patribus, neque a sacra Liturgia duodecim Apostolis aequiparatus unquam invenitur. Licet ergo in Actibus Apostolorum (*XII, 2*) legatur, Spiritum Sanctum dixisse prophetis et doctoribus Ecclesiae antiochenae: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*, nempe inter gentes, ut Paulus ait (*Gal.*, II, 9); nihilominus inter veros Apostolos, uti Mathias et Paulus, nequaquam admumeratus est. Hinc est quod Augustinus (*Expositio super Ps. 86*) et Beda (*In Natal.* S. Benedicti), prout legitur in Breviario Romano (*Com. App. in 2 et 3 Noct.*), dicunt, Paulum tertiumdecimum locum obtinuisse inter Apostolos; nemo autem similiter quartumdecimum dixit obtinuisse Barnabam.

Quae cum ita sint, videretur deesse omnino, in sancto Barnaba, qualitas Apostoli stricte sumpti; ideoque illum ius nullum habere praelationis super alios Sanctos, iuxta ordinem hierarchicum festorum a Rubrica acceptum (*Tit. XI, n. 2*), nempe: 1. Festa Domini; 2. B. M. Virginis; 3. Angelorum; 4. S. Ioannis Bapt.; 5. S. Ioseph; 6. Apostolorum.

Sed contra, optimo iure S. R. C. hoc Decreto suo recognovit et statuit, praecellentiam S. Barnabae super alios Sanctos tribuendam esse. Et sane; festa Evangelistarum non inveniuntur in citata Rubrica, quae ordinem ponit festorum, iuxta dignitatem personalem, nihilominus, pluribus Decretis, ut, ex. gr., 4 Septembris et 18 Decembris 1773, S. R. C. eosdem honores et privilegia tribuerat festis Apostolorum et Evangelistarum.

Neque hic aliquis dicat, haec duo Decreta expuncta fuisse, ideoque nullius amplius esse roboris, quia ratio eorum omissionis in nova collectione, non est quod aliter nunc iudicaverit S. R. C., circa paritatem iurium Apostolorum et Evangelistarum, sed quia novo unico Decreto N. **3808**, de festis primariis et secundariis, idem statutum est.

toribus, quae omnia scripto exarata praeloque impressa, una cum informatione, subiecta fuerunt iudicio E. morum Patrum. Itaque infrascriptus Cardinalis, ipsimet Sacrae Congregationi Praefectus, et Relator, in Ordinariis Conciliis die 30 mensis Iulii nuper elapsi ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum: An Festum et

Si ergo Evangelistae praeferri debent ceteris Sanctis, licet in Litaniis Sanctorum nominentur post S. Barnabam, tanto magis praeferendus erit S. Barnabas, qui in Litaniis locum tenet, ultimum quidem, sed reapse inter Apostolos, et ante Evangelistas similis privilegii partecipes.

Porro cuique notum est, ordinem excellentiae personalis festorum sumi debere ex ordine invocationis Sanctorum in Litaniis; ergo...

Neque dicendum hoc argumentum nimis probare, ideoque nihil, quia festa Evangelistarum sunt ritus dupl. 2 classis, et S. Barnabae dupl. mai., nihil ergo refert praenominatio S. Barnabae in Litaniis. Responsio in promptu est; etiam festa S. Laurentii et S. Stephani ritu gaudent dupl. 2 classis, et tamen invocantur inter martyres, eorumque festa nullo gaudent iure praelationis personalis. Ritus ergo festorum nihil probat contra nostrum assertum. S. Barnabas nominatur in Litaniis inter Apostolos, ideoque ante Evangelistas, ergo Ecclesia eum dignitate apostolica potiri considerat. Quia vero non est unus ex duodecim, ritu duplici maiori, et non 2 classis, festum eius celebrandum mandat.

Nec tantum in Litaniis S. Barnabas inter Apostolos invenitur; sed et in ipsis liturgicis officiis: ex quo enim festum ipsius in Ecclesia celebrari coepit, semper eius officium ex officio Apostolorum sumptum est, ac in Missa additum *Credo*, nulla profecto alia ratione, quam apostolatus. Imo et S. R. Congregatio Decretum tulerat, iampridem, quo festum S. Barnabae in paritate ritus preferebatur festis aliorum Sanctorum in repositione. Quod si in nova editione hoc Decretum amplius non invenitur, nihil inde, nam Decretum contra dictam praelationem minime est latum. Et forte S. C., ut intimius quaestionem consideraret, illud tunc omisit, ut magis patesceret ratio ipsius.

Bene ergo, hoc Decreto, S. R. C. respondendum censuit petitioni: *Festum S. Barnabae, eiusque Officium, in occurrentia et concurrentia cum festis et officiis aliorum Sanctorum, necnon in repositione, ceteris paribus, est praeferendum*, **ratione dignitatis apostolicae.**

Officium S. Barnabae Ap. in occurentia et concurrentia cum Festis et Officiis aliorum Sanctorum, necnon in repositione, ceteris paribus, sit praeferendum?

Porro E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus hinc inde accurate perpensis, ac praesertim iis, quae in Sacra Scriptura atque in Libris Liturgicis Ecclesiae Orientalis et Occidentalis de S. Barnaba perleguntur, rescribendum censuit:

Affirmative, ratione dignitatis apostolicae.

Quam resolutionem, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit, die 11 Augusti 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

IV.

1. *Consuetudo, qua populum ab Altari benedicit Sacerdos superpelliceo et stola indutus, servari potest.*
2. *Si Missa de requie etiam lecta Matutinum sequatur, absolutiones faciendae sunt post Missam.*
3. *Ps.* De profundis, etc., *post absolutionem recitari debent in reditu ad Sacristiam.*
4. *Servari potest consuetudo thus adhibendi in exequis de sero persolvendis.*
5. *Feria VI in Parasceve, per Celebrantem, Lignum seu Reliquia S. Crucis, aut imago Crucifixi discooperiri potest et debet.*
6. *Post Missam Praesanctificatorum removenda sunt ornamenta Altaris* Sepulcri.
7. ℣. Dominus vobiscum *omittendus est ante Orationes, quae dicuntur post Litanias B. M. V., exposito vel non Sacramento: item post Hymnos Sanctorum iuxta Rituale Romanum.*

VICENTINA.

Hodiernus Magister Caeremoniarum dioecesis Vicentinae, de consensu R.mi sui Episcopi sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Cong.ne humillime postulavit nimirum:

I. Potestne servari consuetudo, qua Sacerdos superpelliceo et stola indutus post Litanias et preces ad altare recitatas, ascendit super gradus altaris et benedicit populum, signum crucis super illum formans, his verbis: " Benedictio Dei omnipotentis, etc. „ uti fit post communionem datam fidelibus extra Missam?

II. Absolutiones ad tumulum suntne faciendae immediate post Matutinum, si Missa de Requie, ritu permittente, sit potius lecta quam cum cantu?

III. Psalmus *De profundis* cum versiculis et Oratione post absolutionem ad tumulum recitandus

debetne persolvi in Sacristia an in Choro ante altare maius ?

IV. Plerumque in civitate efferuntur cadavera sub vesperas. In Ecclesia preces exequiales persolvuntur super iisdem antequam terrae tradantur. Estne adhibendum thus circa feretrum, uti fieri solet quando exequiae post Missam peraguntur ?

V. Feria sexta in Parasceve, post orationes, debetne per celebrantem discooperiri Lignum seu reliquia S. Crucis, vel imago Crucifixi ?

VI. Utrum post Missam Praesanctificatorum removenda sint ornamenta Altaris in quo SS^m^ Sacramentum Feria quinta praecedente fuit reconditum ?

VII. Consuetudo hic viget dicendi. ℣ *Dominus vobiscum,* ante orationes, quibus Litaniae B. M. V. vel hymni in Sanctorum honorem concluduntur coram SS. Sacramento publice exposito; cum non immediate, sed post cantum *Tantum ergo* et orationem *Deus, qui nobis,* detur benedictio cum eodem, potestne talis consuetudo servari?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, ita respondendum censuit:

Ad I: Attenta consuetudine, *Affirmative,* iuxta decretum n. **2745,** *Veronen.,* 27 Augusti 1836, ad 4.

Ad II: In casu fiant post Missam de Requie sive lectam sive cantatam.

Ad III: Servetur Rituale Romanum.

Ad IV: Si adsit consuetudo, servari potest.

Ad V: Alterutrum fieri posse et debere.

Ad VI: *Affirmative.*

Ad VII: Stetur decretis, praesertim n. **1265,** *Granaten.*, 16 Iunii 1663, ad 7; n. **1548,** *Salernitana,* 28 Septembris 1675, et n. **3751,** *Bobien.*, 20 Novembris 1891 [1].

Atque ita rescripsit, die 20 Augusti 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

[1] Decr. **1265.** "... VII. An in festo Corporis Christi, in reponendo Ss.mo Sacramento, servanda sit dispositio Caeremonialis Episcoporum quoad Orationes, vel potius Ritualis Romani, ubi dicitur, addi: *Dominus vobiscum?* R. Ad 7: Servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum *l. 2, cap. 33, vers.* **Quo facto**, ubi nulla fit mentio de versu *Dominus vobiscum*, sed iubetur tantum post ℣. *Panem etc.* et ℟. *Omne delectamentum...* cantari Orationem. Et sic servat in Urbe SS. Dominus N., quod servetur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant. „

Decr. **1548** idem repetit, iisdem fere verbis.

In Decr. **3751** quaeritur: " I. An ante Orationem post Litanias, dicto ℣. *Ora pro nobis, etc.*, dicendi sint ℣℣. *Domine, exaudi...* et *Dominus vobiscum?* Et II, an in casu affirmativo, cum talis sit praxis universalis, si in aliqua paroecia hi ℣℣. adiicerentur, possit E. pus præcipere ut tantum ℣. *Ora pro nobis, etc*, dicatur? III. Tenendum ne est tamquam norma generalis, quod versiculi *Domine, exaudi etc.*, et *Dominus vobiscum* praemittendi sint Orationi, iis tantum in casibus, in quibus Rituale Romanum illos praescribit?

Ad quae tria S. Cong. respondit: *Servetur Rituale Romanum.*

Animadvertendum, quod in novissima editione typica Ritualis Romani, loco citato, fuit ablatus ℣. *Dominus vobiscum*, ideoque cum Caeremoniali Episcoporum concordat.

Duo priora Decreta respiciunt versum *Dominus vobiscum* immediate ante Orationem SS.mi Sacramenti, et ante benedictionem; et casus respiciebat tantum festum Corporis Christi; tertium Decretum vero, in duabus prioribus petitionibus, supponit utique SS.mum Sacramentum expositum, sed respicit ℣℣. dicendos post Litanias aliasque preces, ante Hymnum SS.mi Sacramenti.

In omnibus his casibus prohibet S. R. C. ℣. *Dominus vobiscum.* Ast ad tertiam petitionem ultimi Decreti respondetur, semper standum esse Rituali Romano. Igitur quamvis in petitione 7 Decreti supra relati in *Vicentina* mentio fiat de Sacramento exposito, nihilominus responsio est generalis, omnesque casus amplectitur. *Redactio.*

V.

1. *In anniversario Episcoporum prima ex Missis pro Defunctis dicenda est, cum unica Orat. propr.; item in annivers. Episcopor. et Canonicor; in anniversario Canonicorum Missa de anniversario, vel ad libitum, cum unica Orat. propr.*

2. *In occursu diei octavae B. M. V. cum festo dupl. mai. Eiusdem, agendum est de die octava.*

UTINEN.

Reverendissimus Dominus Philippus Mander Canonicus Cathedralis Utinen., de consensu sui R.mi Archiepiscopi, sequentia dubia S. Ritum Congregationi pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum:

I. In anniversario Episcoporum et Canonicorum quotannis in Cathedralibus ex praescripto Caeremon. Episcoporum, Lib. 2, Cap. 37, infra octavam defunctorum celebrando, quaenam Missa, ex diversis pro defunctis in Missali notatis usurpanda est, et quot Orationes in eadem dicendae sunt?

II. An occurrente die octava alicuius Festi B. M. V. cum altero Festo mobili eiusdem B. M. V. ritus duplicis maioris, agi debeat de die octava translato Festo mobili occurrente, vel potius de Festo mobili, et nihil de octava, prout Rubrica specialis praecipit in occurrentia Festi SS.mi Nominis Mariae cum die octava Nativitatis Eiusdem?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae, ita respondendum censuit:

Ad I: In anniversario Episcoporum prima Missa erit dicenda, cum unica Oratione propria, iuxta

decreta: n. **3213,** *Olomucen.*, 5 Martii 1870 ad V., et n. **3920,** diei 30 Iunii 1896. Item in anniversario Episcoporum et Canonicorum. Pro anniversario autem Canonicorum unica dicenda est Oratio propria iuxta citatum decretum, n. **3920,** et quoad Missam detur decretum n. **2040,** *Urbis*, 3 Octobris 1699 [1].

Ad II: *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 20 Augusti 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

[1] Haec sunt verba Decreti **2040**: *Satis explicari in Rubrica Missalis Romani, in fine quartae Missae pro defunctis.* Sed quid ibi dicit Rubrica? Hoc tantum, nempe quod *Epistola et Evangelium unius Missae dici possunt et in alia similiter pro defunctis.* Hoc est, cum in quatuor Missis pro defunctis, praeter Orationes, nihil habeatur, quod speciali modo aptetur circumstantiis, quibus inscribuntur, et, praeter Orationes, Epistolas et Evangelia, omnia sint communia; imo ipsamet Epistola atque Evangelium unius Missae optime alteri conveniat; retentis Orationibus specialibus, quaelibet earum dici poterit quotiescumque pro defunctis celebrare contigerit. Hinc, pro anniversario Canonicorum, ad libitum una prae altera Missa sumi valet, quod ceterum Decreto **2417,** in una *Ordinis Carmelitarum excalcatorum provinciae Poloniae*, ad 8, cohaeret, quo edicitur: " Una vel altera Missa (ex quatuor in Missali pro defunctis assignatis) dici poterit in sepultura cadaveris vel in *anniversario* pro sacerdote defuncto, dummodo pro eo Oratio: *Deus, qui inter apostolicos sacerdotes*, omnino adhibeatur (Die 29 Ianuarii 1752). „

Sed opponi potest Decretum **3213**, ad V, in quo statuitur, in anniversario Canonicorum et aliorum, excepto anniversario Episcopi, legendam esse Missam *ut in anniversario defunctorum, et non ut in Missis quotidianis.* Sed haec dispositio Decreti respicit potius ordinem Missarum prouti prostant in Missali, ut excludere videatur rationem Missae quotidianae, quam non habet anniversarium: et minime opponitur dispositioni Rubricae in fine quartae Missae. Exceptis igitur Missis pro Summis Pontificibus et pro Episcopis, pro quibus statuitur prima, pro reliquis legenda venit *regulariter* tertia, vel, si libeat, quaecumque alia, praeter Orationem, quae erit respective propria.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VIII.

De sacris indumentis in benedictione cum sacramento.

Iulius adolescens optimae indolis et clericali militiae, in quam inclinat, nomen daturus, in Ecclesiis suae civitatis invisendis est frequens, maxime cum Sacramenti benedictio fidelibus impertitur. De nimia tamen difformitate, quam in hac sacra functione persolvenda oculis suis perspicit, nimis contristatur. Alicubi namque Presbyter superpelliceo, stola et pluviali induitur, et vix uno clerico, saepe solo aedituo, ne cotta quidem induto, adsociatus, ad altare pergit, tabernaculum aperit, ante Sacramentum aliquas recitat Orationes, et post *Tantum ergo,* assumpto humerali velo, populo cum pyxide benedicit. Alicubi autem Sacerdos stola etiam super cotta indutus ac pluviali, ut supra, sacram Hostiam in Ostensorio ponit, quod super throno collocat, preces postea recitat, et dicto *Tantum ergo,* Ostensorium deponit, adsumit velum et benedicit populum. Alibi etiam solemnem cum Ostensorio benedictionem impertientem vidit Iulius Sacerdotem, sola cotta amictum cum stola ac velo humerali, sed sine pluviali. In quadam denique Ecclesia eiusmodi adstitit functioni, in qua Sacramentum in pyxide servabatur, et post Orationem de Sacramento sine benedictione Sacerdos populum dimisit. Hinc a quodam Caeremoniarum magistro sequentia studiose petit:

1. Quotuplex sit benedictionis functio cum Sacramento, quando in usu esse utraque ceperit, quibusque indumentis impertiri debeat?

2. Num vetitum in antiquitate fuerit populo cum pyxide benedicere, quidque in praesenti disciplina iudicandum sit?

3. Quid responsi Iulio exhibendum, ne scandulum patiatur?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Antonii Rodriguez Gonzalez, Cappellani Regiae Ecclesiae Hispanicae S. Iacobi Mai. Ap. et S. Mariae de Monteserrato in Urbe, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 8 Maii 1901; acta Epitome per R.mum Dom. Hilarium Passerini, Antistitem Urbanum.

I. Quotuplex sit benedictionis functio cum Sacramento, quando in usu esse utraque ceperit, quibusque indumentis impertiri debeat?

Praecipuum catholici cultus obiectum, religionis compendium, mortalis vitae solatium est Eucharistia. Unde ad realem Christi praesentiam in hoc amoris Sacramento honorandam iam a primis christiani aevi temporibus leges institutae liturgicae, sumptuosae aedificatae basilicae, et invectum quod pulchrum et admiratione dignum in iis habetur. Satis notum est divinam Eucharistiam servatam fuisse pro infirmis, ac in itineribus delatam; ignoramus tamen an, et quonam ritu fidelium adorationi fuerit exhibita, nihil quippe hac de re in antiquis codicibus liturgicis et ecclesiasticis. Verum disciplina tunc vigente, quae dicitur *arcani*, iis tristissimis persecutionis temporibus, non est praesumendum, divinam Hostiam palam adorationi expositam fuisse, prout fit hodie. Sed tunc tantum, cum christianae religionis lux tenebras dissipavit idololatriae, ac praecipue, data occasione ab haeresi

Berengarii, saeculo XI, ab aliisque, quibus realis Christi praesentia in Eucharistia negata est, indeque ex institutione solemnis festi et processionis SS. Corporis Christi, sub Papa Urbano IV, anno 1264, quo tempore ostensoria apparent, coeptum est, magis minusve solemniter publice exponi (probabiliter anno 1300), ad indignationem in haereses demonstrandam, et ad dogma affirmandum realis praesentiae. Videtur ab exordio in diversis Ecclesiis introducta tantummodo privata expositio, serius solemnis, usquedum, opportuno tempore, ad maius utriusque splendorem introducta fuit et benedictio cum SS.mo Sacramento, quae, praesenti disciplina inspecta, inseparabilis est ab expositione, et tamquam illius complementum consideratur. Nunc, ad unumquodque primi quaesitus comma responsuri, animadvertimus, quod, ratione intimae connexionis, quae inter expositionem et benedictionem intercedit, et ad clariorem rerum tractationem, quando de benedictione sermo erit, saepe et de expositione loquemur.

Benedictionis cum SS. Sacramento ritus, est actus, qui expositionem complet, iuxta vigentis consuetudinis normam: hinc prout expositio esse potest solennis vel simplex, publica vel privata, ita et benedictio eamdem patitur differentiam. Solemnis illa est, quae cum Ostensorio, S. Hostia patente, impertitur, simplex, quae cum Pyxide clausa. Publica, quae, pro publica causa, ab Ordinario praecipitur, privata, quae, rationabili quacumque de causa, privata auctoritate completur. Huiusmodi necessario retinenda est declaratio, ad distinctionis vim ex parte causae efficientis seu formalis ponendam, non vero causae finalis, eo quod, ex hac parte, quaeque cum Almo Sacramento benedictio, sive solemnis sive non, substantialiter est, et semper debet esse publica. Ita v. gr. benedictionis privatae causa esse potest infirmitas, afflictio, devotio, etc. vel unius privatae personae, quae illam requirat, et, accedente Ordinarii consensu, etiam generice facto, solemniter, seu cum Ostensorio dari potest; at finis actionis neque potest, neque

debet esse una individui utilitas, sed Dei cultus et commune bonum, quae privatam utilitatem non excludunt, quinimo illi favent, quemadmodum ceterum evenire necesse est, in omnibus, quae in Ecclesiae nomine, per legitimos ministros peraguntur. Hinc nemine praesente, neque cum Ostensorio, neque cum Pyxide, Sacramenti benedictio impertiri valeret (V. *Ephem. Liturg.* an. 1894, pag. 342, 343).

Quodcumque expositionem impedit, aut illi favet, impedit pariter benedictionem eique favet, hac tanquam illius consectario considerata. Ita per analogiam deducitur ex spiritu Decretorum, et ex Scriptorum doctrina.

Benedictionis functio multipliciter quoque considerari potest: 1° ratione personae, quae eam exsequitur, v. g. si est Episcopus, simplex Sacerdos, Parochus vel Canonicus... 2° ratione loci in quo impertitur, v. g. si in Ecclesia parochiali, vel cathedrali, aut collegiata, sive regulari, aut extra Ecclesiam... 3° ratione temporis, v. g. si datur immediate ante, aut immediate post Missam, vel post vesperas, aut processionem, sive in horis matutinis, seu vespertinis... 4° ratione qualitatis actus religiosi, v. g., si fit pro oratione XL horarum, vel ad instar; in triduo, novenario, exercitiis spiritualibus... 5° ratione festi, v. g. si fit in festo Corporis Domini, aut in aliis festis anni... 6° ratione obiecti, v. g. si fit pro gratiarum actione, vel in honorem alicuius Sancti aut B. M. V., in suffragium mortuorum... 7° ratione maioris vel minoris solemnitatis, v. g. si fit cum aut sine ministris sacris, cum vel sine Sacerdote assistente, vel solum cum aliquibus clericis... Hanc enumerationem retinere debemus, non modo ad melius intelligendum quod dicetur, sed etiam, ad servandum in singulis casibus, quod leges liturgicae praescribunt, et auctores docent, in ordine ad particularia.

Quoad alterum quaesitus comma, dicimus, non posse praecise definiri, quonam tempore ritus benedictionis ortum habuerit, tam publice, quam private. Diximus iam expositiones

publicas saltem, assurgere ad saeculum circiter XII; sed benedictiones, in forma hodie usitata, sunt recentiores, idque ex eo probatur, sive quod inutiliter ante expositionis institutionem inquirerentur, sine quod veteres codices liturgici et ecclesiastici nil certi habent in ordine ad aetatem, qua introductae fuerunt. Thiers (*lib. 3, de expositione, cap. 7, pag.* 331) diversos referens modos benedictionis impertiendae, iuxta locorum et temporum adiuncta, nonnulla citat antiqua Ritualia et Processionalia romana, Parisiis typis edita. Inter alia quoddam commemorat Rituale Augustodonense, anni 1503, in quo de benedictione sermo est quam Sacerdos impertit cum Pyxide in Ecclesia, in reditu post Viatici ad infirmos administrationem. Citat et cuiusdam Carmelitarum Caeremonialis supplementum, anni 1604, quod habet: " Celebrans dat benedictionem populo faciendo cum custodia tres cruces nihil tamen dicendo. „ Grancolas, qui prope saeculi XVII finem scribebat, loquens de Rituali 100 iam tunc ante annos edito, ait, ante hanc epocham neque exponi, neque deferri in processionibus consuevisse, quemadmodum passim fit hodie. Ad illius normam, officians, antequam Sacramentum reponeret in tabernaculo, Ostensorium prae manibus habens, humerali velo coopertis, et dum chorus cantabat *sit et benedictio*, se vertens per dexterum latus ad populum, gyrum complebat nullo facto crucis signo, nullaque formula adhibita. Ita Rothomagi et plerisque in locis circa saeculi XVII medietatem.

Quoad vero benedictionem, quam nos simplicem dicere malumus, cum SS. Sacramento, Benedictus XIV, cum Archiepiscopatum Bononiae teneret, Notificationeme didit (quae est 30ª), in qua haec ad rem: " Nella nostra città di Bologna in molte chiese si è introdotta la costumanza di dare la benedizione anche più volte al giorno colla sacra Pisside al popolo radunato. Di questo rito non v'è verun rincontro che sappiamo, leggendosi solamente nel Rituale Romano, al titolo *de Communione infirmorum*, che se, dopo avere il parroco comunicato l' in-

fermo, resta nella Pisside una particola, si benedica l'infermo dal parroco: *Accipiens Vas cum Sacramento facit cum eo signum crucis super infirmo nihil dicens,* che lo stesso si faccia pure dal parroco sopra il popolo, quando sarà giunto alla chiesa: *Cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat signum crucis super populo nihil dicens; postremo illud in suo loco reponat.* Nemmeno in Roma, che è la maestra dei Sacri Riti, ciò si pratica, se non nel caso in cui qualche sublimissimo personaggio, cioè Re o Regina, per esempio, a motivo di pietà, bramasse la santa Benedizione col Venerabile. „ His verbis desumitur, ante Benedictum, prohibitam fuisse privatam benedictionem, nempe simplicem, et tantum ex abusu in aliquibus introductam Ecclesiis, quibus indulgendam esse censuit, quibusdam appositis conditionibus. Coepit exinde, Gardellini teste, propagari, usque dum frequentissime invaluerit, et hodie communissime habeatur. Ita ut, iuxta relata testimonia, ea forma, qua nunc peragitur, solemnis cum Sacramento benedictionis functio ad saeculum XVII referri valeat, et simplicis ad finem XVIII, quamvis utraque, alia licet forma, iam anteriori aevo invaluerit, paulo post, forsan, institutionem processionis SS. Corporis Christi, prima vice a Concilio Senonensi memoratae, anno 1320.

Quibus vero vestibus impertienda sit benedictio, de qua in tertio quaestionis membro, nunc inquiramus. Plures, ex S. Rituum Congregationis Decretis, Scriptoribus liturgicis, et Rubricarum spiritu, de quibus inferius, requiruntur conditiones, tam pro benedictione solemni quam pro privata seu simplici. Solemnis cum cotta saltem super habitu talari, aut etiam amictu, alba et cingulo, cum stola et pluviali, velo humerali superposito, iisque albi coloris danda est; ratio autem est ipsa solemnitas actus, quae solemnitatis vestes requirit. Hinc, Decreto 20 Mart. 1869, in una *Montis Regalis,* n. **3201,** ad VI, S. R. C. declaravit: " In processionibus Sacerdos, qui SS. Sacramentum portat, quacumque Dignitate insignitus,

incedere debet paratus Amictu, Alba, Stola ac Pluviali. In benedictionibus, quae dantur sive cum SS. Sacramento sive cum Ligno SS. Crucis, uti potest supra rochettum, si eius habeat usum, Amictu, Stola et Pluviali, quatenus Ministri Sacri parati non adsint; secus, Negative. „ Quo etiam sensu intelligi debet aliud Decretum datum in una *Ordinis Minorum Capuc. S. Francisci*, die 27 Dec. 1888, n. **3697**, ad XII, huius tenoris: " In Processionibus et benedictione cum SS. Sacramento in Ostensorio impertienda, omnino requiritur ut celebrans pluviale et velum humerale induat, „ ita scilicet, ut si agitur de Processione, Alba, etc., requiratur, si de benedictione tantum, sit satis stolam super amictu et rochetto assumere, cum Celebrans istius privilegio potitur, secus super cottam. Qui privilegio fruuntur gestandi mozettam, cappam aliave insignia, illis uti nequeunt in benedictione, esto cum stola (S. R. C. Decr. 23 Ianuar. 1790, in *Urbinaten.*, n. **2047**, *ad I*, et aliis), poterunt tamen supra rochettum, si huius usum habeant, stolam et pluviale induere. Verum nunquam permittitur stola tantum super rochettum sive ad impertiendam benedictionem, sive ad expositionem seu repositionem faciendam. In benedictionis functione cum Eucharistico Sacramento color eiusdem proprius est adhibendus, nempe albus, utcumque Officium diei exigat, aut expositio fiat in suffragium defunctorum. Sed si, immediate post Missam aut Vesperas, Celebrans, planeta deposita et manipulo, apud altare pluviale indueret, hoc esse posset coloris diei, saltem si cum ministris paratis celebraverit, dummodo non usus fuerit colore nigro. Id autem tam ad vitandam difformitatem haud consonam cum continuitate actionis, quam ad commoditatem officium facientium. Excipiuntur velum humerale, thronus, antipendium aliaque ornamenta altaris, quae esse debebunt alba, ut eruitur ab Instructione Clementina et Decretis S. Rit. Congregationis, 9 Iul. 1678, in *Taggen.*, **1615**, ad 6, et 20 Septembris 1806, in *Toletana*, n. **2562**. At si Sacerdos qui paratus

officium peregit proficiscitur ex altari in Sacristiam, tam post Missam, quam post Vesperas, vel si datur ab alio Sacerdote, quatenus semper functio sit distincta et seiuncta a Missa vel Vesperis, omnia esse alba debent, et etiam in expositione et repositione Sacramenti, iuxta Decreta S. R. C. iam citata, et aliud, quod subiicimus: " *Senogallien*... Dubium II. In eiusmodi benedictione (solemni cum SS. Eucharistiae Sacramento), quae immediate datur post Completorium, sacri Ministri indui ne possunt iisdem cuiusvis coloris paramentis, quibus antea usi sunt ad Vesperas?.. Ad II. Utendum paramentis dumtaxat coloris albi... Die 12 Maii 1893 (n. **3799**). „

Benedictio simplex, alias privata, cum Augustissimo Sacramento, impertiri debet cum superpelliceo super talari habitu, stola et velo humerali albis, quodcumque sit ceterum color diei. Id v. g. prescribit Rituale Romanum in benedictione post Viatici administrationem, admittens pluviale, tantum *si haberi potest*, et haec indumenta sufficiunt, eo quod eiusmodi benedictio minorem solemnitatem fert, quam publica. Attamen, cum nullibi prohibeatur pluvialis usus in benedictione eiusmodi, neque ulla lege praecipiatur, iuxta opportunitatem licebit illo uti, vel non, attenta praesertim consuetudine. Si immediate post Missam aliqua impertienda sit benedictio cum Pyxidis expositione, sicut accidit in quibusdam Ecclesiis pro minus solemnibus functionibus, potest Celebrans exponere et facere functionem cum omnibus ornamentis Missae, exclusis tamen nigris, et deposito manipulo, ac post ipsam, velum humerale ponere supra planetam et dare benedictionem cum ipsa Pyxide. Quando cum Pyxide impertienda est benedictio, cooperiri ea debet omnino humeralis extremis fimbriis, ex Decreto S. R. C. d. d. 21 Februarii 1896, in *Platien.*, n. **3888**, ad III, et alio simili diei 23 Februarii 1839, in *Meliten.*, n. **2786**, ad I. Sacra eadem Congregatio, in *Conversanen.*, die 13 Iulii 1883, ad Dubium I sic expressum: " Pluribus in locis memoratae Dioeceseos benedici consuevit

populus cum pyxide parvo conopaeo contecta, absque usu veli humeralis. Quaeritur num huiusmodi usus possit tolerari? „; respondit: " Ad I: Negative. „

II. Num vetitum in antiquitate fuerit populo cum pyxide benedicere, quidque in praesenti disciplina iudicandum sit?

Ad huius alterius quaestionis primam partem affirmative reponimus. Vidimus enim, Benedicto XIV, profecto doctissimo atque ecclesiasticarum rerum inquisitori diligentissimo, notum non fuisse benedictionis ritum in forma, de qua in casu, eumque illos tantum novisse, quos Rituale describit in ordine ad Viatici administrationem; sibi ceterum consticisse Romae perraro in usum fuisse. Nihil novi igitur introducere volens in sua Archidioecesi, usum, qui iamdudum invaluerat, coarctavit, semel tantum benedictionem cum Pyxide permittens in die, in Ecclesiis huic ritui assuetis, et quidem debita cum decentia, atque ad minus duorum clericorum assistentia, superpelliceo indutorum atque manu candelas gestantium. Vetuit porro absolute iis in locis, ubi consuetudo eiusmodi non inveniretur. Gardellinius abusum intolerabile suorum temporum dixit morem Pyxidem e Tabernaculo extrahendi pro causa privata, absque Episcopi facultate, ad benedicendum populum (*Comm. ad Instr. Clement., § 36, n. 14*). Iuverit hic animadvertisse expositionem quoque ac benedictionem solemnem, pluries in die, in eadem Ecclesia prohibitas iamdiu fuisse, ne veneratio tanto Sacramento debita imminueretur, aiente Benedicto XIV: " Plures Sanctissimi Sacramenti expositiones, saltem in throno, eadem die in eademque Ecclesia improbantur, vel plures benedictiones cum eodem, nisi forte ob aliquam gravem causam aliter Ordinario videatur. „ Idem desumitur ex sequenti S. R. C. Decreto: " ... Et S. R. C. mandavit: Servari Decreta antiqua super hoc edita, scilicet: non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa vero privata licere, dummodo

non extrahatur e Tabernaculo et maneat velatum, ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit. Et ita servari mandavit, necnon, etc. Die 31 Maii 1642 (in *Savonen.*, **800**). „ Excipe cum benedictio Eucharistica processionem aliquam concludit, vel in reditu post Viaticum datur; tunc enim altera eiusdem generis aut diversi impertiri potest, procedunt quippe ex variis causis, et illae de quibus diximus, a Rituali Romano et a S. R. C. praecipiuntur, velut pars integralis eorumdem rituum (Dec. d. d. *27 Iun. 1868*, in *Limana*, **3175**, ad II). Hoc antiquam respicit disciplinam; quoad novam, notandum est, sicut pluribus aliis de rebus accidit, quae in Ecclesia mutationi obnoxiae esse possunt, factum esse, ut, quod tempore Benedicti XIV, pluribus in Ecclesiis Bononiae, rarius Romae, ex tolerantia locum habebat, impraesenti Romae et alibi passim sit invectum. Ita est nunc fere universalis consuetudo populo cum Pyxide benedicere, post quamdam functionem. Idcirco accedente generali approbatione ecclesiasticae auctoritatis, non est amplius interloquendum in casu, dummodo adamussim serventur Rubricae et Decreta, quorum praestat nihilominus nonnulla recentiora referre:

1. " *Palentina.* -- Dubium I. — Quum ex nonnullis Sacrarum Romanarum Congregationum responsis aliqui putent sacram Pyxidem, aperto Tabernaculi ostiolo, posse fidelium pietati exponi, minime vero inde extrahi; alii vero educi posse opinentur, tantum ut cum ea populo benedicatur, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus Ecclesiis Regularium; quaeritur: Num huiusmodi consuetuto admitti possit?... Ad I: Affirmative (S. R. C., *16 Ian. 1886*, n. **3650**). „

2. " *Congreg. Presbyt. SS. Sacr.* — Dubium III. — An post expositionem privatam SS. Sacramenti, scilicet aperto ostiolo Tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in Pyxide recondito?... Ad III Affirmative (S. R. C., *30 Novemb. 1895*, n. **3875**). „

Unde, debita cum prudentia et moderatione, poterit Ecclesiae rector petentibus assentiri, absque speciali Episcopi licentia. Hinc quorundam scriptorum etiam recentiorum opinionem, quae in antiqua disciplina iure sustineri poterat, nunc velut rigidiorem minusque veritati conformem repudiamus. Admittunt enim quod, in privatis expositionibus (quas fieri posse censent, sine Episcopi facultate), benedictio " cum pyxide dari nequit, nisi Episcopus ob consuetudinem existentem facultatem concesserit (WAPELHORST, *Compend. S. Lit., n.* **226,** *1, 4*). „ Decretum *5112*-**2957,** in *Ariminen.*, quod ab iis citatur, non facit ad rem, utpote quod dicit tantum: " Amplitudo Tua (Episc. Ariminen.) ... permittat continuationem huiusmodi piorum exercitiorum, „ sinat nempe ita continuari, cum facultate non indigeant; et quaestio potius versatur quoad modum ritus exequendi, non quoad substantiam, nempe an omittenda foret incensatio, in casu; et re sane vera subdit Decretum rationem decisionis: " *nam omissio incensationis* conformior est Ecclesiae praxis in benedictione cum S. Pyxide „. Laudabiliter igitur etiam pluries in die, si prudenter agatur atque decore, benedictio simplex impertiri valet: praesumi debet enim non imminutionem fidei et honoris in Sacramentum exinde oriri, sed potius augumentum [1].

III. Quid responsi Iulio exhibendum, ne scandalum patiatur?

Ut viam ad respondendum faciliorem reddamus, nonnulla praemittemus quoad diversos modos, qui passim sunt in usu, in expositionibus et benedictionibus cum SS. Sacramento, Decreta S. R. C., quae habentur, opportune referentes.

[1] Diligentissimus disserens subdidit hic perplura exempla causarum, quibus determinare satagebat qualitatem expositionum publicarum et privatarum; verumtamen ab iis referendis abstinendum esse censemus, eo quod, quantum videmus, non satis res in liquido est penes auctores, et ipsam S. R. C., et in praxi non respondet ipsis theoricae placitis.

Redactio.

1. Quod expositionem et benedictionem *solemnem* attinet, plures dari possunt casus: *a*) Exponitur Sacramentum ab aliquo Presbytero, aut Diacono, superpelliceo et stola induto (pro qua actione velum humerale nullimode est adhibendum, S. R. C., *16 Dec. 1828,* in *Mexicana,* n. **2669**, ad 2; V. etiam n. **3697**, ad 12), acceditque postmodum alius Sacerdos benedictionem daturus; hic autem aut solus est paratus, aut cum Ministris in dalmatica et tunicella. *b*) Ad altare accedit Sacerdos cum Ministris paratis, alio Presbytero vel Diacono comitante, vel non. *c*) Sacerdos benedictionem daturus expositionem per se complet, nullo alio Presbytero aut Diacono adiuvante. *d*) Casus specialis datur, in festo Corporis Christi, Episcopo processionem cum benedictione explente, quo Diaconus assistens *reponere* debet Almum Sacramentum.

In primo casu, Sacerdos, vel saltem Diaconus, superpelliceo et stola tantum indutus procedit, comitante uno saltem clerico thuribulum deferente, ad Altare, in quo expositio facienda est, et, rite Sacramento exposito, illud thurificat. Deinde aut ipse preces fundere potest, aut seorsim secedere, ut locum det alii Sacerdoti pluviali parato, qui eas recitet. Hic autem sive preces peculiares dicat sive non, adstare debet ante Sacramentum dum canitur *Tantum ergo,* qui hymnus omnino canendus est ante benedictionem cum Venerabili (S. C. R., n. **3402**). Post Orationem *Deus, qui nobis* velum assumet populo benedicturus. Notetur, nullimode competere Diacono, Orationes, more Sacerdotis functionem peragentis, decantare ante Sacramentum, cum sit subalternus minister, sed, si ipse expositionem peregit, expectet Sacerdotem ritum perfecturum. Si Presbyter iste cum ministris paratis supervenerit, Diacono laudabilius munus relinquetur Sacramentum deponendi et tandem reponendi. Hoc vero ex Caeremoniali Episcoporum erui videtur (*loco cit.*), eo quod supponi nequit, illud alios Presbyteros non considerare, qui eiusmodi ministerium adimplere valerent, et tamen absolute ait Diaconum etsi *stola non in-*

dutum eiusmodi actionem perficere debere; quod Decreto (*sup. cit.*) S. R. C., confirmatur: quo tamen, duobus casibus exceptis, de quibus laeremoniale, semper stola exigitur.

Altero in casu, Sacerdos benedictionem daturus, genuflexus super infimo altaris gradu, expectat donec Diaconus paratus, seu alius Presbyter vel Diaconus stola supra superpelliceum indutus expositionem peregerit. Tunc assurgit impositurus incensum in thuribulum, quo facto, genuflexus ipsemet Sacramentum thurificat et preces recitat, si quae dicendae sint, ante *Tantum ergo;* sin minus precibus ab alio recitatis, aut hymno aliquo, etc., ac *Tantum ergo* decantato, liturgicam Orationem dicit. Deposito, post Orationem de SS. Sacramento, Ostensorio per Diaconum aut Presbyterum, ut dictum est de expositione, assumpto velo, benedictionem de more impertiet.

Tertius casus accidit plerumque in Paroeciis ruralibus, clero, praeter Parochum, destitutis. Cum unicus Sacerdos sit expositionem et benedictionem expleturus, aut prius stola tantum super cotta paratus expositionem agit precesque fundit, et tunc ante *Tantum ergo,* ad scamnum secedens, pluviale induit, aut ab initio sic paratus perficit omnia. Animadvertendum tamen nullatenus convenire, ad SS., deponendum et ad reponendam S. Hostiam, in fine functionis, pluviale deponere; neque pariter decere ante Almum Sacramentum expositum pluviale assumere (V. *Instruct. Clement., § XIX*); abusum demum esse intolerabile, pluviale post Orationem de Sacramento pro unico benedictionis actu induere, quasi veli humeralis fulcimentum.

Postremus casus expositionem non supponit, quia sacra Hostia in Missa, quae immediate processionem praecedit, consecratur, et in Ostensorio collocata super altaris mensa relinquitur. Hinc, suo tempore, data benedictione, Diaconus assistens repositionem complet, ut superius dictum est.

Quando expositio fit ad longius temporis spatium, non est impertienda benedictio ante dictam expositionem, sed

tantum in repositione (S. R. C., **3058**, in *Ultraiecten.*, ad I, die 11 Iul. 1857).

2. Quod vero benedictionem simplicem, sive cum Pyxide, respicit, haec sunt notanda: *a*) datur, post Viatici administrationem, tam in domo infirmi, quam post reditum ad Ecclesiam, et tunc sine expositione; *b*) locum habere potest post expositionem ad Tabernaculi ostiolum, etiam celebrata Missa vel Vesperis; *c*) alicubi post Sacramenti delationem ab uno ad alterum altare; *d*) alibi demum post quamcumque Communionis administrationem.

In primo casu, ex Rituali Romano (*De Comm. Infirmor.*), Sacerdos potest, sed non tenetur, induere, praeter cottam et stolam, etiam pluviale; quinimo, ratione solemnitatis, ex laudabili consuetudine, etiam albam, etc., comitantibus quoque Ministris paratis, semper tamen cum velo humerali, quod valet et pro ceteris casibus. In secundo casu, vel fit expositio ab alio, uti solet in solemni, et tunc Sacerdos benedicturus accedit paratus pluviali ante *Tantum ergo*, quia nullatenus conveniret alium Sacerdotem stola tantum indutum, prout ille qui expositionem peregit, supervenire ad benedictionem impertiendam, nisi tamen exponens esset tantum Diaconus; vel expositio iam multo ante facta est, et tunc Sacerdos accedit pro precibus aut saltem *Tantum ergo* et benedictione; vel denique expositio et benedictio continuo completur ab unico Sacerdote, sive stola tantum, quod sufficit, sive etiam pluviali parato. Quod si post Missam aut Vesperas functio peragenda sit, eadem paramenta retineri possunt (praeter manipulum), quae ad ritum pertinent (assumpta etiam stola in Vesperis), et expositio in casu fieri valet sive ab ipsomet celebrante, si est solus, sive a Diacono aut ab alio Sacerdote. In duobus sequentibus casibus, ubi legitime vigent (V. Decreta S. R. C., nn. **3287**, **3308**), patet, benedictionem impertiri debere cum paramentis praecedentis actus, sive sint cotta et stola, vel pluviale, aut planeta.

Quoad assistentiam inferiorum ministrorum, animadvertendum est, in quibuscumque benedictionibus, saltem unum clericum, aut laicum eius vicem tenentem, talari habitu et superpelliceo indutum, necessarium esse, sive ad thuribulum praestandum, sive ad velum imponendum, sive ad alia ministeria, si quibus opus sit, obeunda. Attamen cum in Pyxidis repositione non sit necessario thus adhibendum (S. R. C., 11 Sept. 1847, in *Ariminen.*, n. **2957**), non videtur valde inconveniens absque ministro procedere, praecipue si ex necessitate fiat.

Tolerari nequit usus, ex quo, post Missam, Sacerdos imposito sibi velo humerali extrahit e ciborio SS. Sacramentum, et cum eo immediate benedicit populum, et statim recondit, quin prius vel postea aliquid dicat vel cantet (S. R. C., die 7 Iulii 1876, in *Ravennaten.*, n. **3402**, ad I); sed saltem precedere debet cantus stropharum *Tantum ergo* et *Genitori*, cum ℣. *Panem de coelo* et Oratione de SS. Sacramento, ut praescribitur in Rituali Romano et Caeremoniali Episcoporum, post Processionem cum Sanctissimo; etiamsi iam in Missis et Laudibus Commemoratio de eodem Sanctissimo Sacramento sit habita, vel saltem Oratio sit dicta (S. R. C., die 11 Iulii 1857, in *Ultraiecten.* ad III).

Nunc ad Iulii solatium, haec exhibemus responsa: Presbyter Sacramenti in Pyxide clausi expositionem ac benedictionem complens, assistente tantum aedituo cotta non induto corripiendus profecto est: non enim inter sacra licet absque clericali veste ad altare inservire: cum non ageretur de benedictione solemni, opportunius ministrum omnino excludere potuisset, sed tamen, in casu, pluviale etiam non induere, quod est solemnitatis indumentum. Alter casus censuram non meretur, nisi forte in eo quod de ministro silet, qui absolute requiritur, cum agatur de functione solemni, in qua thus adhibendum ex lege est. Tertius casus, ut in responsionibus ad dubium primum vidimus, cohonestari nequit, quia

pluviale necessario requirebatur. Quartus et ultimus casus, qui est de expositione sacrae Pyxidis, sine benedictione, alicubi admirationem parere posset, non tamen ubi est in usu; hinc Iulius acquiescere poterat, non enim de re agitur contra legem, quod ex pluribus Decretis S. R. C. in authentica Collectione retentis, eruitur. Exemplo sit sequens in *Olinden.*, ad I: " ... detur Instructio edita a s. m. Benedicto Pp. XIV, hoc est: Eucharistiae Tabernaculum solum aperiatur et sacra Pyxis clausa suqque velamine obtecta populi oculis obiiciatur. Verum penitus interdicitur sacram Pyxidem extra Tabernaculum efferri ac velatam sub umbella collocari, cum nullum huius ritus vestigium apud liturgicos scriptores, nullaque Sedis Apostolicae, quam sequi omnino debemus, consuetudo deprehendatur (*Die 16 Martii 1876*, n. **3394**). „ Et aliud, iam citalum, in una *Congregationis Presbyterorum SS. Sacramenti:* " Dubium III: An post expositionem privatam SS. Sacramenti, scilicet aperto ostiolo Tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in Pyxide recondito?... Ad III: Affirmative (*Die 30 Novembris 1895*, n. **3875**) „. Ergo, post expositionem venerabilis Sacramenti in Pyxide, Sacerdos, in casu, impertire *poterat* benedictionem populo, sed necessario non *debuit.*

IX.

De usu insignium in protonotario apostolico.

Hieronymus cuiusdam Collegiatae Ecclesiae Canonicus extra Urbem, Protonotarii Apostolici *ad instar* honore nuper fuit decoratus. Diplomate rite habito, suoque Episcopo ostenso, suis statim uti coepit insignibus: quibus in singulis festis indutus assistebat choro, locumque sibi debitum ratione possessionis in primum mutavit, prouti suae dignitati, uti dicebat, respondentem. Insignia autem, quae induebat, erant: talaris

vestis ex serico violaceo cum cauda, haud tamen explicata, fascia et mantellettum violacei pariter coloris, subtus autem rochettum. Mitra quoque utebatur, quam sibi, prouti de bireto fieri solet, pontificalis Missae tempore (quo solum eam adhibere consueverat), pluviali quoque adhibito, imponebat ac deponebat. In festis vero celebrioribus clericus praesto erat, ut id muneris pro eo adimpleret. Dum autem Collegae sui Cruci genuflectebant, Protonotarius inclinabat caput; ac Missae Diaconum monere sategit, triplicem semper sibi competere thuris ductum, uti pro celebrante Canonico fieri convenit. Quae omnia iniquo ferentes animo Canonici, Episcopi tandem auctoritatem implorarunt, sustinentes neque Insignibus posse uti, multoque minus mitra, Protonotarios Apostolicos in choro, nec primum eis subsellium competere. Constitutio enim Pii Pp. IX, quae incipit **Apostolicae Sedis** ea omnia, uti reliquas praeeminentias illis denegat; et si iis utantur, poenae amissionis distributionum se subiectos certo sciant. Eapropter Episcopus suo Caeremoniarum magistro sequentia dubia enodanda proponit:

1. *Unde Protonotariorum Apostolicorum origo, quotuplex eorum classis, et quaenam insignia, quibus iidem decorantur?*

2. *Quibus in casibus temporumque adiunctis, relativis insignibus, et qualibus, uti iure valeant?*

3. *Quid iudicandum de agendi, opinandi agendique modo Hieronymi, et de Canonicorum illi adversantium sententia, quod singula attinet, ut in casu?*

Solutio.

Ex dissertatione Rev. Dom. Philippi Giobbe Pont. Seminarii Romani alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 22 Maii 1901, acta Epitome per Rev.mum Dom. Paulum Saraiva, Apostol. Caeremoniarum Magistrum.

I. Quaeritur in primis Unde Protonotariorum Apostolicorum origo?

Nec facilis nec brevis labor nobis de Protonotariorum Apostolicorum origine disserere, eo vel magis si omnimodam historicam certitudinem, et rerum perfectam cognitionem pertingere debeamus.

Idcirco brevi potius calamo, de iis, quae, post diligentem, quantum fieri potuit, inquisitionem, ac testimoniorum, quae ea de re ab historia suppetitantur, examen, opportune in medium afferri posse visa sunt, hic agendum. Insignes historici et Canonistae de origine Protonotariorum plura dixerunt, et ex iis De Luca (*Relation. Romanae Curiae, discursus 44, n. 2*), Baronius (*Ad ann. 238, n. 1*), Cardinalis Petra (*Commentar. in Constit. 4 Pii II, n. 2*), Barbosa (*Lib. I iuris ecclesiastici, cap. 23*), Bouix (*Tractat. de Curia*), Martigny aliique, una fere voce cum Summis Pontificibus Xysto V (*Constit.* **Romanus Pontifex**, *diei 16 Novemb. 1585*, et alia **Laudabilis Sedis,** *an. 1575*), Pio VII (**Cum innumeri**, *13 Decemb. 1818*), Gregorio XVI (*Constit. diei 6 Febr. 1838*), Pio IX (*Litt. Apost.* **Quamvis peculiares**, *Febr. 1853*) asserunt, Protonotarios Apostolicos originem habuisse sub Papa S. Clemente, qui (ut nonnulli inter praefatos scribunt eos constituit in septem Urbis regionibus, ac proinde septem et ipsos fuisse. Nunc vero, quid de hac assertione dicendum? Quaenam fides illi tribuenda? Quo innititur fundamento? Cito dicimus, antiquissimum in usibus fori fuisse apud Romanos nomen et officium *Notariorum* seu virorum, qui brevibus notis et formulis compendifactis et conventionalibus publica transcribebant aut exarabant instrumenta. Sed quandonam adhibiti sunt in Ecclesia eiusmodi viri, qui Notarii seu etiam Exceptores nuncupati sunt, ac officium habuere colligendi et transcribendi acta Martyrum? Ut verum fateamur, parum aut nihil certi hac de re in antiquis fontibus habetur, ideoque facile evincimur omnes, plus minusve, eadem repetere coactos fuisse, iisdemque

fere verbis. Documenta, quae antiquiora novimus, sunt: Constitutum Silvestri (cfr. HARDOUIN, *Tom. I, pag. 290*), quod loquitur de *Notariis Ecclesiae XIIII. qui gesta diversorum martyrum suscipientes ordine enarrabant*, ac praeterea Liber Pontificalis, Anastasii Bibliothecarii. Hic, de S. Clemente loquens (*Liber Pontif. in Clemente, I, n. 5*), ait, ipsum Notarios instituisse, diversas regiones dividendo inter aliquos fideles, quibus munus tribuerat diligentissime inquirendi, sua quisque in regione, Martyrum acta.

Meminit quoque de S. Anthero (*ibid., in Anthero*), qui ob zelum distinguitur in colligendis ac servandis actis; ita pariter de S. Fabiano (*ibid., in Fabiano,* n. 5), cuiusdam coetus notariorum institutore, septem Subdiaconis curam committente, ut *septem notariis imminerent, ut gesta martyrum fideliter colligerent* (Cfr. Duchesne, *Liber Pontificalis. I, 123, 147, 148*).

Nobis ergo, huiusmodi testimoniis innixis, ac in temporum adiuncta, quibus ea referuntur, intuentibus, inferre liceat, iam a S. Clementis aevo, et si libeat adhuc prius, existentiam Notariorum, seu collectorum privatorum actuum Martyrum. Etenim facile admitti potest. ex privato etiam impulsu, una cum Martyribus, fideles quosdam surrexisse, qui aut ob venerationem erga ipsos, aut ob alium bonum finem, memoriam eorumdem servarent. Hinc potius considerare debemus S. Clementem veluti laudatorem et fautorem talium privatorum Notariorum, quam verum institutorem; absonum namque generatim reputatur admittere, primo christiani aevi saeculo, eiusmodi institutionem, quando nempe Ecclesia vitam adhuc ducebat, in qua carismata praevalebant, et ob persecutionum adiuncta, haud facile necessitas intueri poterat peculiaris institutionis, quae initia praesignaret illius hierarchicae constitutionis, cuius primordia ab historicis criticis non ante saeculi tertii initia assignantur.

Ad hoc quippe tempus licet ea referre, quae Liber Pontificalis habet de Papa Fabiano, statuendo ipsum revera fuisse coetus Notariarum ordinatorem, circa annum 250, eosque sub septem Subdiaconorum directionem posuisse, primumque per Urbis regiones distribuisse. Quae ceterum regiones a Libro Pontificali nequaquam determinantur, nec cum septem ecclesiasticis regionibus sunt confundendae, quarum origo non ante saeculum v est agnoscenda, prout inter alios asserit De Rossi (V. *Roma Sotterranea, vol. V*) et Duchesne. Collegium itaque Notariarum, ita a S. Fabiano constitutum, eo usque perseveravit, imo magis magisque nobilitatum est, dum Ecclesia proficiente et tandem in pace constituta, deficientibus Martyribus, ad actus Summorum Pontificum et Consistoriorum tunc frequentissimorum conscribendos, ut videtur, pertransiit. Huius dignitatis relativaeque venerationis vestigium dignosci potest in eo, quod Notarii Episcopos interdum praecessissent, quod privilegium serius, Pio II Pontifice, aboletum est (Constit. **Cum servare**, d. d. *12 Iunii 1459*). Hoc eodem tempore, ob eamdemque causam, *Protonotarii* nomen originem habuit.

Quod autem ad huius Collegii historiam recentiori aevo pertinet, hoc scimus: Xystus IV Protonotarii officium vendibilem fecit (Oldorinus, *Vita Xysti IV*); Xystus V (*Constit. cit.*) numerum Protonotariorum auxit et duodenarium reddidit, privilegia quoque eorum ampliavit. Verum, sub saeculi XVIII finem, post tristes eventus anni 1793, a Pio VI officia vendibilia abrogata sunt, inter quae Protonotariatus, ac superstitibus annuae pensionis assignatio facta est. Unde duo tantum supererant Protonotarii tempore Gregorii XVI, qui tamen, die 6 Februarii 1838, datis Apostolicis Litteris, Collegium restituit, ac in pristinum numerum reduxit, illi tribuens antiquum splendorem. Hac hodiedum ratione Collegium hoc amplissimum regitur; et vocatur *Protonotariorum Apostolicorum Participantium,* aliquibus tamen privilegiis a

Pio papa IX, anno 1853, die 9 Februarii, Litteris in forma Brevis **Quamvis peculiares**, imminutum.

2. Quaeritur secundo: Quotuplex Protonotariorum Apostolicorum classis?

Una cum septem Protonotariis de Collegio, qui *Participantes* appellantur, eo quod dignitatem habent et officium, alii surrexerunt, qui forte, ab origine, in Participantium auxilium adiecti, cum nomine privilegia quoque eorum sortiti sunt, sicut erui datur a Pii IX Constitutione **Apostolicae Sedis,** data IV Kalendas Septembris 1872; unde *ad instar Participantium* nunc upati sunt. Tandem alii quoque extra Urbem titulo *Protonotarii* sunt decorati, quibus, cum per Romanos Pontifices commissum fuerit ab initio officium Notarii in propria Dioecesi, et privilegia plura iis quoque concessa sunt, quae a Pio VII, idibus Decembris anni 1818, data Constitutione **Cum innumeri,** limitata ac determinata fuere. Ita tres Protonotariorum classes expresse, Apostolica auctoritate, numerantur, scilicet: *Protonotarii Apostolici Participantes; Protonotarii Apostolici ad instar Participantium; Protonotarii Apostolici Titulares,* seu *Honorarii.*

3. Tertio loco quaeritur: Quaenam insignia, quibus iidem decorantur?

In Pii II et Xysti V Constitutionibus nullum fit verbum de insignibus Protonotariorum; de habitu praelatitio cum rochetto Xystus IV aliquid innuit; et inter Commentatores, Cardinalis Petra (an. 1750), qui de veste et pallio violaceis, et de usu rochetti in publicis functionibus loquitur. Quinam autem esse debeat sic habitus precise a Constitutione **Apostolicae Sedis** declaratur, cum agitur de Protonotariis *ad instar.* Constare igitur reperimus ex veste talari cum cauda, serica zona perstricta, et palliolo seu mantelletto, necnon collari et caligis, singulis coloris violacei, et bireto, coloris tamen nigri (Cfr. praefatam Constit., *n. 2*). Subsutura et extremae orae vestis et pallioli sunt coloris rubini. Sub dicto

mantelletto, in sacris functionibus et supplicationibus adhiberi valet rochettum (*Ibid., 3*). Protonotarii habitus privatus, qui est niger, habere potest fimbrias globulosque rosaceos, et parvam zona sericam; retentis collari et caligis violaceis; longum autem pallium erit sericum, et violacei pariter coloris. Pileus tandem niger cordulam cum flocculis rubri coloris habebit, sed tantum sericam (*Ibid., 4*). Praeter habitum praelatitium, celebrantes in Pontificalibus, iuxta normas ab Apostolicis Constitutionibus statutas, usum quoque habent sandalium cum caligis, et chirothecarum ex serico; dalmaticae, et tunicellae; Crucis pectoralis simplicis, cum cordula serica, aurei annuli, unicae mitrae et quidem simplicis, et nigri pileoli sub mitra tantum adhibendi (*Ibid., 16*). Stemma gentilitium ornari potest pileo nigro, cum subsutura cordulis et floccis, senis ex utraque parte rubri coloris. Insignibus istiusmodi, aeque iure decorantur Protonotarii Participantes, prout in § XXII Constitutionis saepe dictae manifestum fit. Titularium demum insignia, uti ex Constitutione Pii VII iam citata eruitur, reducuntur ad habitum praelatitium nigrum, talari veste, scilicet, cum cauda et fascia, uti arbitramur (secus non videretur habitus praelatitius, qui formam nempe praeseferre debet, quam gestant Praelati proprie dicti, nempe Cardinales et Episcopi) et mantelletto, cui, in publicis supplicationibus aliisque Ecclesiae functionibus supponere valent rochettum. Pileus et lemnisci cum floccis stemmati apponendi, nigri dumtaxat esse possunt. In reliquis nihil eis tribuitur, quo a ceteris simplicibus ecclesiasticis distinguantur.

II. Quibus in casibus temporumque adiunctis relativis insignibus, et qualibus, uti iure valeant?

De qualitate prius insignium, iuxta legem et consuetudinem dicemus. Talaris vestis et mantellettum nunquam ex serico esse deberent, prout et habitus Episcoporum ex Caeremoniali, nisi in Romana Curia tempore aestivo, quo omnes tam maiores Praelati quam ceteri Summi Pontificis fami-

liares serico utuntur. Nescimus tamen, an consuetudo, quae inter Episcopos etiam extra Urbem invaluit, et legitime introductam esse putamus, extendi valeat reliquis Praelatis; sed cum auctoritate videnti et tacente passim extendatur, non videtur esse interloquendum. Pallium tamen privati habitus esse debet sericum. Biretum autem ac pileolus serica esse solent. Rochettum, in extremis manicis textili denticulato ornatum, habere potest subsutum sericum, coloris respondentis serico extremas vestis oras contegentis, videlicet rubino, seu *cremisi*, non autem purpureum aut violaceum (V. Decretum **3780**, *ad 5*). Pilei cordulae cum flocculis sericae esse debent non tamen auro intermixtae. Quoad insignia pontificalia, notandum est nec caligas nec sandalia, esse posse ex tela serica auro argentove commixta, neque chirothecas ullis operibus adornari. Annulus unica gemma sit praeditus oportet, Crux pectoralis sine ullis omnino gemmis, et cordula ad eam sustinendam tantum ex serico, et violacei coloris. Mitra demum ex lino albi coloris solummodo, cum similibus vittis, laciniis sericis rubris in extremis fimbriis adornatis (Constit. Pii IX iam cit.).

Diximus iam, habitum praelatitium proprie dictum in usum esse in sacris functionibus et supplicationibus, una cum rochetto; absque eo aliis solemnioribus in actibus. Si tamen Protonotarius canonicali, aut alio beneficio potiatur, nequit habitum praelatitium gestare, nec locum accipere digniorem eo, qui ob beneficium ei competit; si secus vero agat, distributionibus privabitur. Potest tantummodo in casu sub choralibus indumentis vestem violacem caudatam cum zona deferre, loco nigrae et communis.

Circa insignia pontificalia, notandum est praeterea, generatim illa permitti Protonotariis Participantibus et ad instar, hac cum differentia, quod Partecipantes iis uti possunt quibuscunque in Missis solemnibus, et in qualibet Ecclesia etiam Cathedrali, dummodo non adsit in loco Summus

Pontifex, et requisito Ordinarii consensu, quatenus sit praesens, vel etiam absque illius consensu si absens; dum Protonotarii ad instar simili privilegio potiuntur, sed obtinere semper debent expressum Ordinarii consensum; ac si de Ecclesia exempta agatur, consensum adhuc superioris istius. (Cfr. Constitutiones Xysti V, *Laudabilis,* et Pii IX *Apostolicae Sedis).* Ius Pontificalia peragendi non competit Protonotariis Titularibus, et in Urbe nec habitum praelatitium gestandi, quem pariter non induunt ubi adest Summus Pontifex.

Quoad privatas Missas, cum Protonotarii Participantes, et ad instar, in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, nunquam Missas in Pontificalibus celebrare valeant, usus palmatoriae conceditur, et privilegium, si in habitu praelatitio accedant, sese ad Altare ad Missam praeparandi et paramenta sumendi. Excluditur tamen semper usus annuli et Crucis pectoralis, quae in Missis tantum pontificalibus taxative concessa sunt. Privilegium Protonotariis concessum, quod Missarum solemnia in Pontificalibus agere possint, ita stricto sensu est interpretandum, ut nequeant Missas pro Defunctis praefato ritu celebrare, nec Processionibus aliisque sacris functionibus interesse, nisi forte hae immediate Missam in Pontificalibus praecedant vel subsquantur; prout et vetantur Missis assistere Pluviali et Mitra, more Episcoporum, induti, in illis ministrare, more Canonicorum, qui Mitrae privilegio fruuntur collegialiter inservientes (V. S. R. C., N. **2624**). An in Vesperis, quae immediate Missam pontificaliter celebratam non subsequantur pontificali more officium valeant peragere, plurimum disputatum est (Cfr. *Ephemer. Liturg.* Octobr. et Novembr. 1900). Cum vero privilegia strictam patiantur interpretationem, tutius est ad ipsas favorem non extendere: profecto Missa cum Vesperis, in solemnitatibus praecipue, multam relationem habet, sed non intimam adeo, ut inconveniens deprehendatur unam in Pontificalibus, alteras minime, celebrare: saepe videmus Episcopum Missarum

solemnia pontificaliter facere, Vesperas autem simplicem Presbyterum, quin admiratio aut aliud inconveniens subsequatur.

III. Quid iudicandum de agendi, opinandi agendique modo Hieronymi, et de Canonicorum illi adversantium sententia, quod singula attinet ut in casu?

1. Hieronymus locum sibi debitum ratione possessionis in primum immutans, eo quod opinabatur suae novae dignitati Protonotarii ad instar convenientem, reprehendendus est, nullam enim praeeminentiam ei tribuere valebant insignia praelatitia in casu, cedere enim Protonotarios ad instar oportet Canonicis, etsi Collegiatae, capitulariter unitis (Constitut. Pii II, n. 5). Nec fas illi fuisset eodem induto habitu, locum alias sibi competentem, ratione canonicatus, occupare, sed ultimum; et hoc in casu distributiones chorales amisisset. Contentus esse debebat veste praelatitia tantum, sub specialibus chori insignibus indui. Sericum vero, quocumque in casu gestare regulariter nequibat, sed attenda consuetudine potuisset, ex ratione superius adducta.

2. Pontificalis Missae tempore, assistere nunquam poterat mitra et pluviali indutus, nisi dignitate potiretur in Capitulo Mitrae usum habente; nec ministerio uti clerici imponentis ac deponentis mitram.

3. Quod inclinationem respicit, potiusquam genuflexionem ad Crucem, dicendum, quod si habitu praelatitio assistebat, ius habebat ita sese comportandi, secus conformare se debuerat Collegis suis.

4. Falso affirmavit triplicem semper sibi competere thuris ductum simpliciter choro assistenti et non celebranti.

5. Canonici, Episcopi auctoritatem invocantes, ut Hieronymus ab insignibus in choro deferendis abstineret, nihil obtinere poterant, quippe quod praelatitius habitus, cum rochetto, in choro optime gestari valet. Ius tantum eis inerat distributiones illi denegandi, et digniorem locum.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Lincio.* **De duplici I cl. in diem suam octavam, quae dies octava alterius est festi, translato.** Alicubi anno 1901, festum *primarium* S. Ioannis Nepomuc. Mart. (die 16 Maii), rit. dup. 1 cl. (vel 2 cl.) cum Octava occurrit in festo Ascensionis Domini, et proinde transferendum est. Aliqui innixi Decreto S. R. C. n. **3853** putant, illud (cum infra totam suam Octavam non adsit dies libera) transferendum esse ad diem suam Octavam (die 23 Maii), *redacta Octava ipsa Ascensionis Domini* ad ritum simplicem. An recte?

Resp. Nil possumus in contrarium afferre circa opinandi rationem eorum, qui tenent, duplex I cl. die sua, quae Ascensionis est impedito, reponi posse in diem suam octavam, quae et Ascensionis octava dies est, hac ad simplicem ritum redacta. Cum peritioribus negotium contulimus, Decretum **3853** penitius perpendentes; et ad hoc devenimus, id toto iure fieri posse, imo et debere. Decretum namque nescimus an esse possit clarius, edicens, Duplex habens Octavam impeditum die sua, et per infra octavam, **transferendum esse in ipsam octavam diem,** suam utique, quamvis ea dies octava incidat in *Dominicam,* vel in aliud festum, quod non sit praestantius aut *ritu,* aut *primarii qualitate,* aut *dignitate.* Ratio est, quia festum transferendum potius est quam Dominica, in quam proinde reponi potest. Sed in casu est etiam praestantius quocumque alio festo duplici, sive minori, sive maiori, sive II classis, imo etiam I cl., si hoc esset secundarium, Spiritus enim Decreti est, ut festum, quod transfertur, die prima propria amissa, servet saltem suum ultimum complementum, seu

ultimam diem propriam, quae octava est. Si ergo praefatis praevalet, quare diei octavae alterius festi praevalere non debet? An dies octava praestantior dici debet duplici II cl., aut etiam I classis secundario. Minime profecto. Si ergo hoc festum transferendum iis praevalet, praevalet indubie etiam diei octavae, quae saltem peculiari privilegio non fruatur.

Notandum enim, translationem in casu non esse ad instar aliarum translationum, sed translationem omnino privilegiatam, in gratiam festi, quod die sua recoli non potuit, et recolendum praecipitur saltem in die sua octava. Hoc ergo die, cum alii omnes praecedentes sint impediti, singulari pollet privilegio, ut reponi possit, quocumque occurrente festo, dummodo sub aliquo respectu sit inferius illo: tale autem certe est dies octava communis. Spiritus enim Decreti hic esse videtur, ut festum istud sit tamquam occurrens, cum omnes dies, a festo ad Octavam usque, unum festum constituant, maxime autem dies octava, quae festi complementum est atque perfectio. Id autem manifesto consequitur ex collatione Decreti, ea super re, antiqui et recentis. Nam antiquum eiusmodi privilegium tribuebat festo transferendo, quando impediebatur ab alio festo, *quod destituebatur octava.* Ad rem videri potest in antiqua Collectione, praeter alia, Decretum 5903 ad IV, quod conditionem explicite notat in dubio IV. At Decretum novum **3853** sustulit praedictam conditionem; ergo antiquitus quidem, non vero impraesenti, servari debebat dicta conditio, nempe: si festum impediens, octava non gauderet. Est itaque novum Decretum sine ulla conditione, et dummodo festum, quod transfertur, in sede translationis inveniat festum minus praestans, consequenter etiam diem octavam, quae privilegio peculiari non fruatur, in eo reponendum est. Quid dicerent lectores, si eos certiores faceremus, nos Calendarium quoddam legisse iam typis mandatum pro anno 1902, in quo festum S. Andreae Apost. Titularis, occurrens in Dominica I Adventus, translatum fuit in die sua octava, seu in Dominica se-

cunda dicti Adventus? Et nihilominus illius Calendarii ordinator peritissimus est, neque inscienter aut temere id fecit, sed Decreto **3853** innixus, quod omni studio et cura perpenderat.

Hinc cohonestamus confirmamusque quod alibi (*Ephem. Liturg. 1899, pag. 581 et seq.*) docuimus, neglectis quibusvis observationibus in contrarium facientibus. Peculiariter unam notabimus circa *repulsionem absolutam octavae* in festo impediente, quam cl. quidam Adlaborator noster e Gallia nobis misit. Verum quidem est, Decretum praefatum verba facere de die octava festi transferendi; sed ex eo non sequitur illud voluisse absolute excludere octavam alterius festi, si et ipsum ea polleat. Nam quando Decretum dicit, festum transferendum per totam suam octavam impediri, significare intendit certo octavam *suam*, non alterius festi; at ex eo quod de sua octava loquatur, non potest erui, excludere voluisse octavam alterius festi. Siquidem de illa loquitur, quia loqui de illa debuit, hanc vero siluit, de qua loqui nullimode erat necessarium.

At obiicies: quomodo potest festum cedere alteri festo diem suam octavam, si ei ne cessit quidem diem alium infra octavam, cum tamen illa sub duplici, iste vero sub semiduplici ritu recolatur? Reponimus: *a*) Optime potest, quia festum I cl. uti occurrens in die sua habetur, cui dies octava iure cedit. *b*) Quia dies octava festi, quod celebratum est, minori pollet gravitate quam dies octava festi, quod die neque sua, neque per totam octavam celebrari potuit. *c*) Si autem non cessit diem infra octavam, id ex eo accidere potest, ex parte festi impedientis, quia saepe dies isti occupati sunt per duplicia minora, maiora, et etiam classica. Etsi nihilominus fieri possit, ut diem aliquam infra octavam occupet semiduplex aliquod de Sancto, nihilo tamen minus, cum dies octava sit ultimum festi complementum, hanc prae aliis eligere Legislator potuit, pro festo impedito, sive ne tangeret

officium semiduplex, semel tantum recolendum, sive quia dies octava festi impediti maiorem habere debet considerationem, quam ceteri dies de infra octavam ut, ceteris impeditis, ea saltem celebrari queat. Eapropter donec diversa prodeat Decreti, de quo est quaestio, interpretationem a nobis exhibitam retinemus, uti certam: ut qui eam amplexati fuerint, recte senserint.

II. *Ex eodem loco.* **De Symbolo in Missis infra aliquam octavam, illud ferente.** In Decr. S. R. C. n. **3922,** V sub 1. dicitur: " ... in festivit. et infra Octavas eiusd. B. V. celebretur Missa festivitatis, aut **de die** *infra octavam*, tamquam non votiva, sed festiva; „ et sub 2: " *Credo* in Missis votivis B. M. V. semper omittatur, nisi sint **de die** infra eiusdem Octavas. „ Porro verba " **de die** *infra octavam* „ videntur aliquantulum aequivoca, possunt enim intelligi de diebus liberis infra octavam, in quibus ipsum recitatur Officium ritu semid., quod in Kalendariis ita indicatur: " **De** (I, III, etc.) **die** *inf. Oct.* „ Hinc quaeritur:

a) Si, ex. gr., die 17 Aug., in qua fit de Octava S. Laurentii, rit. dup., ex indulto canatur Missa votiva (non solemnis pro re gravi), haec cani debeat (de Assumpt. B. V.) *ut festiva* etiam cum *Credo?* Et quatenus affirmative, an etiam cum tribus Orationib. (1ª de festo Assumpt., 2ª de Oct. S. Laur., 3ª de Spiritu Sancto?)

b) Item, qui die 11 Decemb., in festo S. Damasi rit. semid. legere vult Missam votivam B. V., debeat illam legere (de Immac Concept.) ut *festivam,* etiam cum *Credo* (et tribus saltem Orationibus?)

Resp. Verba *de die infra octavam*, si recte perpendantur, imo si uti sonant sumantur, nullam praeseferunt aequivoca-

N. B. — In praedictis casibus sumebatur prius Missa quidem de Assumptione vel Immac. Conc., sed sine *Credo;* et tantum, si agebatur Officium *de die inf. Oct.*, sumebatur haec Missa *de die*, ut *festiva* cum *Gl.* et *Credo* et Orationibus in Directorio adsignatis.

tionem. Sicut si quis diceret, *officium de die infra octavam* recitare debet, perspicue loqueretur, ita eadem perspicuitate loqui ille dicendus est, qui ait: *celebretur Missa de die infra octavam.* Quemadmodum enim in prima loquendi ratione nonnisi officium de die infra octavam intelligi potest, eodem modo in secunda unice significari potest Missa de die infra octavam. Sic pariter dicimus: ***Missa de S. Ambrosio, de festo, de die,*** etc., et quandoque pro ablativo etiam genitivus casus sumitur, uti ***Missa festivitatis, diei festi, diei infra octavam,*** etc. Hinc per praefatum se exprimendi modum, qui communis est omnibus Liturgiae peritis, intelligitur Missa pertinens *ad festivitatem, aut ad diem infra aliquam octavam:* sive recitetur officium de infra octavam, sive de aliquo semiduplici infra octavam, sive etiam de duplici, in quo permissa habeatur Missa de infra octavam.

Hisce suppositis deveniamus ad solutionem dubiorum. *a*) Officium fit de duplici, seu de die octava S. Laurentii Mart., et supponitur privilegium canendi Missam votivam de Assumptione. Inquirimus Missa eiusmodi cuiae naturae est? Ut adaequate reponamus quaesito, cogimur notiones de Missa votiva alibi (*Ephem. Liturg. 1899, pag. 567, n. II,* Brevi) expositas resumere. Missa *votiva* non opponitur *festivae,* sed *praeceptivae;* cum votiva sit ex desiderio, ex voto, praeceptiva autem ex praecepto. Missa esse potest de festo, de die, de tempore, de octava, de feria, de vigilia: si in praecepto sit, praeceptiva erit: si sine praecepto et ex voto, votiva. Quamnam Missam habemus in casu de quo agitur? Missam votivam, quia ex praecepto non est, imo est indultiva, utpote quam rubricae prohiberent. Habemus ergo Missam votivam, quae tamen de infra octavam est, respondetque officio, non integro, sed commemorato. Quid autem Decretum edicit? " Missae huiusmodi (*De Missis votivis privatis*) fiant sine *Gloria* et sine *Credo*... **nisi sint de die infra octavam,** quo in casu celebrandae essent ut in festo, id est cum **Gloria** et

Credo (*Decr.* **3922,** III, 3) „. Item: " Credo in Missis votivis (*De Missis votivis B. M. V.*) semper omittatur, **nisi sint de die infra eiusdem octavas** (*Decr. cit. V, 2*) „; et paulo superius dixerat: " In festivitatibus et **infra octavas** eiusdem B. M. V. celebretur Missa festivitatis aut **de die infra octavam,** tamquam non votiva, sed festiva (*n. 1*), hoc est, cum *Gloria* et *Credo* ut in festo „. Ut ergo Missa de infra octavam ferat *Credo* non est necesse ut respondeat officio integro, sed sufficit ut de infra octavam fiat commemoratio, cui Missa respondeat, quia haec erit in casu Missa quidem votiva, sed et festiva, seu de die, utique infra octavam. Ergo die 17 Aug. in qua fit officium de die octava S. Laurentii Mart., si habeatur indultum canendi Missam votivam de Assumptione Deiparae, cum ea Missa sit festiva, quamvis et votiva, *Gloria habebit* et *Credo*, prout in festo.

Quod vero pertinet tres Orationes, has dicendas indubie credimus, habet enim Missa, licet in cantu vel solemnis, rationem Missae votivae privatae.

b) Similiter: si die 11 Dec., in quo fit officium semid. de S. Damaso, legere quis velit Missam de infra octavam Deiparae Conceptionis, hanc dicet cum *Gloria* et *Credo*, ut in festo, ob easdem rationes, de quibus superius dictum est, et pariter cum tribus, ut supra, Orationibus.

III. *Ex eodem loco.* **De Missa Vigiliae Assumptionis eiusque ordine.** In eodem Decreto V, sub n. 1 dicitur: " Imo in Vigilia Assumptionis (similiter et Immac. Concept.) B. M. V... celebretur Missa de Vigilia. „ Quaeritur:

a) An id intelligendum sit pro casu, quo diebus praedictis recitetur Officium *de die infra Octavam S. Laur.* (*vel de feria*), quia tunc Missa Vigiliae esset **Missa diei;** vel etiam pro casu, quo praedictis diebus celebretur festum ritus duplicis? — Et quatenus Affirmative ad secundam partem.

b) An Missa Vigiliae in casu (si agitur fest. dup.) sumenda sit ut *votiva*, i. e. colore albo (etiam 14 Aug.) cum

Gloria in Sab. (sine *Gl.* extra Sab.) et cum Praef. B. V. " in veneratione „ vel dicenda sit ut *ferialis*, i. e. col. viol. die 14 Aug. (alb. die 7 Dec.), sine *Gloria* etiam in Sab. et cum Praefatione communi?

c) Quid, si in dictis diebus (14 Aug. et 7 Dec.) cani debeat Missa *votiva* B. M. V. *solemnis* pro *causa gravi?* An etiam de Vigilia sumi debeat, sine *Gloria* sine *Credo,* cum Praefatione communi? una, vel tribus Orationibus? et die 14 Aug. in colore violaceo?

Resp. Ita verba Decreti sunt intelligenda, ut si quis, permittente ritu, vel ex indulto, Missam de Beata Virgine dicere vellet in vigilia Assumptionis illius, nequaquam aliam Deiparae votivam deberet legere, sed Missam de ipsa vigilia. Verba huiusce partis Decreti excerpta sunt e particulari Decreto antiquo, n. 2133, excepto quod antiquum debat consilium, recens praeceptum imponit.

a) Hinc patet responsio ad hunc quaesitum, quatenus haec Missa de vigilia stat pro Missa votiva: adeo ut, si agatur officium de die infra octavam S. Laurentii Mart., uti Missa votiva Deiparae esset permissa, ita pro ea permittatur tantum Missa de vigilia: si autem fiat officium aliud sub ritu duplici, uti permissa non esset Missa votiva, sic pro ea non permittitur Missa de vigilia eiusdem Deiparae;

b) Cum, absolute loquendo, Missa de vigilia indulgeri possit in festo etsi ritus duplicis, et aliunde eadem esse queat conventualis, praesenti quoque dubio reponimus. Itaque Missa vigiliae huius, quamvis sufficienda sit Missae votivae, utraque enim de eodem est subiecto, seu de Deipara, nihilominus in sua natura manet, quae ferialis est, nulloque pacto votivae regulis subiacet. Proinde cum Tetamo dicendum (*Adnot. in d. 14 Aug., art. 2, n. 4)*: " In Missa huius vigiliae paramentorum color *violaceus,* ex Rubr. Gen. Missalis, *Tit. 18, n. 5.* „ Ratio patet, quia dictus color adhibendus est in omnibus vigiliis, ieiunium ferentibus, vigilia Pentecostes excepta.

Nec *Gloria* dicendum, etiam in Sabbato, etsi in Officio dictus sit Hymnus *Te Deum*, eo quod hae Missae non concordant cum Officio, et Missae de Vigilia non competit Hymnus caelestem gloriam continens, inquit Gavantus (in Rubr. Miss., *par. I, Tit. 8*). Et licet in Missis votivis de B. M. V., quae celebrantur in Sabbato dicatur *Gloria*, etsi non fiat Officium de eadem (Tetamus, *loc. cit., 3*), " attamen hodierna Missa non est festiva, sed ferialis et de Vigilia communi, cui non competit laetitia, sed moestitia. „ Praefatio quoque, iisdem de causis, communis esse debet. Quoad colorem Missae vigiliae Immaculatae Conceptionis, res in dubio versatur, prout in Ephemeridibus alias dictum est. Sed tutius sequenda praxis, quam credimus universalem, et in ea proinde color violaceus adhibendus.

c) Ex commate 1° Decreti V liquido patet, easdem normas, quas tradit in sequentibus, eiusdem numeri, pro Missis votivis privatis, etiam valere pro solemnibus quibuscumque, *etiam pro re gravi:* ac proinde nullum dubium, idem dicendum esse de Missa votiva *pro re gravi* in Vigiliis Deiparae, quod dictum est de ceteris. Igitur, cum Missa in casu sit dicenda prout extat in Missali, Hymnus *Gloria in excelsis* est omittendus, et cetera omnia retinenda sunt, iuxta ritum *universalis Ecclesiae*, uti cautum est, et explicite iubetur in eodem Decreto, n. 1, commate 4.

IV. *Pro eod. loco.* **De Missa votiva B. M. V. semper relativo Officio votivo respondente.** In eodem Decreto, V, sub 1, tertio loco, etiam dicitur: " Pariter die, quo Officium de B. V. ex indulto recitatur, Missa votiva sumatur, *quae respondeat Officio.* „ Quaeritur: Quomodo intelligenda est haec dispositio, respectu habito ad responsa data in Ephemeridibus Liturg. anni 1900, pag. 182, VI, et pag. 299, V; vel potius respectu habito ad Decretum n. **3764,** ad XI, ipsius S. R. Congregationis?

Resp. Non unum idemque omnino est quaestionis obiectum utroque in loco Ephemeridum citato, et in Decreto **3764**

S. R. Congr.; itaque, quod dicitur de Missis votivis Mysteriorum D. N. I. Ch. applicari haud ex toto valet Missis, item votivis Beatae Mariae in genere, etenim, quod S. Congregatio istis concessit, potuit non concedere illis; contra vero unum idemque est obiectum Decreti citati **3922**, V, 1, in tertio commate, et praefati utriusque loci Ephemeridum; idcirco non exacte quaeri potest, an illud ad istud respectum habere queat. Itaque quaestionem alio modo proponamus; v. gr.: Cum Decreti **3922**, V, 1, 3, dispositio pro Missis votivis B. M. V. differat ab alia Decreti **3764**, ad XI, pro Missis votivis D. N. I. Ch., quomodo sustinentur responsa data in Ephemeridibus, anno 1900, etc., cum hoc postremo Decreto identitatem invocantia? Ad quam interrogandi rationem, ita respondemus: in primo loco Ephemeridum citato, solutoris mens tota in Decretum **3764** conversa erat, et *a pari*, ut dicitur, quaestionem diiudicavit, hoc ratiocinium instituens: Si Officium votivum D. N. non influit in Missam sibi respondentem. ad excludendam alteram de Personae eiusdem altero mysterio, ita nec Officium votivum B. M. influere valet in respectivam Missam, ad excludendam aliam eiusdem B. Virginis, v. gr., votivam communem, aut de Septem Doloribus, quae de cetero semper, ritu permittente, dici possunt; atque exinde patet, eum nondum novisse Decretum generale, datum die 30 Iunii 1896, sed forte tunc nondum publicatum quod certo certius *votivae de communi B. V.* in casu adversatur: unde non sustinetur, quoad hoc comma, solutoris conclusio. Sed aliter iudicari potest, sub respectu Missarum votivarum, quae *propriae* sunt B. M., v. gr. de *Septem Doloribus*, de *Purissimo Corde*. quod solutor (loco secundo citato) prae oculis habuisse ostendit. Hic enim autumamus rite fieri posse ratiocinium *a pari*, seu ex identitate rationis, ex Decreto **3764**; ex contextu enim Decreti V, *de Missis votivis Beatae Mariae Virginis*, videtur voluisse Sacram Congregationem excludere Missas votivas *de communi* B. Mariae, non

votivas *proprias*. Festum enimvero, Officium votivum, vel de Vigilia Deiparae, nisi ad quandam peculiarem Virginis praerogativam, seu mysterium ex voto intendatur, sibi vindicat Missam *propriam* respondentem, contra votivas *communes*, quod nullimode exigere praesumendum est contra votivas *speciales*, quibuscum peculiare mysterium quis colere intendit.

Unde Missa votiva B. Mariae V., cum de Eadem Officium votivum est recitandum, huic semper respondere debet, nisi alia specialis recitari velit aut ex obligatione debeat. Hinc patet inter Decreta citata discrimen, et quonam sensu accipienda sunt responsa alias data ab hisce Ephemeridibus.

V. *Ex Utinensi Dioecesi.* **De festo Patroni minus principalis in Calendario restituendo.** Anno elapso Calendarium perpetuum pro hac Dioecesi Utinensi noviter dispositum, a S. R. C. approbatum fuit, ex quo nonnulla festa expuncta sunt. Inter huiusmodi officia expuncta quoque fuit *Translatio S. Marinae Virg., dupl. mai.*, quae coelebratur die 17 Iulii in toto dominio veneto, utpote Patronae minus principalis. Huius festi expunctio cum aliis quaesita est, quia ex inadvertentia reticita fuit eius qualitas, nempe *patronae minus principalis totius veneti dominii*, in quo adest Dioecesis Utinensis. Quaeritur: Ut denuo in Calendario Utinensi inscribatur Translatio S. Marinae, recurrendumne est ad S. R. C., an potius redactor Calendarii pro anno 1902 proprio marte rursum illam inscribere poterit in eodem Calendario?

Resp. Certo certius Translatio S. Marinae, utpote Patrona minus principalis totius dominii veneti, expungi non poterat ex Calendario Utinensi, nisi facta adnotatione huius qualitatis, apud legitimam Auctoritatem, quae certis de causis huiusmodi expunctionem cohonestare potuisset. Reticita autem hac qualitate *patronatus*, licet ex oblivione, dicendum est, quod rescriptum laborat vitio obreptionis, ideoque nullum, in hac parte.

Quamobrem, in Calendario Utinensi, non est omittendum illud festum die 17 Iulii, et Ordinarius potest, imo debet

denuo illi sibi convenientem sedem restituere, atque Officium S. Alexii, ea die occurrens, in alia libera, assignare, ordinando assignationes iam in Calendario noviter adprobato invectas, iuxta Rubricas. Nec obstare dicendus est titulus festi, qui *Translatio* nuncupatur: plura enim extant exempla festorum, quae unicum proprium et primarium festum in translatione, inventione, ordinatione habent: unde cum non agatur de festo iterum celebrando, neque de secundario, deficit ratio ob quam expungi debuerit aut saltem potuerit.

VI. *E Parma.* **De qualitate Calendarii adhibendi spiritualium excercitiorum tempore.** Quodnam officium recitare debet Parochus dioecesis, qui exercitiis spiritualibus vacat in civitate, in qua Calendarium, etsi eiusdem dioecesis, non concordat tamen cum Calendario suae paroeciae? Quod si illi Calendario se conformare tenetur, quid faciet cum reversus fuerit in sua paroecia?

Resp. Ex indulto Apostolico, uti supponitur in dubio, Sacerdotes in unum confluentes exercitiorum causa, et divinum officium una simul recitantes sequi debent Calendarium Ecclesiae, cui adnexa est domus, vel, si desit, Calendarium civitatis. Si vero privatim officium recitent, tum unusquisque recitabit officium propriae Ecclesiae, etsi ab ea absit.

Sacerdotes item, qui etiam singillatim exercitiis spiritualibus vacant in domo alicuius instituti seu Congregationis, v. g.: Iesuitarum, Missionariorum S. Vincentii a Paulo, Redemptoristarum, etc., si una cum ipsis officium recitent in communi, ex privilegio quo gaudent, possunt se illis confirmari. Nil vero interest an ob hoc aliquod officium bis ab aliquo recitetur, aliquod vero praetermittatur. Hinc domi rediens Calendarium propriae Ecclesiae resumet ab ea ipsa die vel sequenti, si iam integrum de die officium recitavit.

Decretum vero citatum non facit ad rem, cum ibi agatur tantum de clerico, qui absque legitima causa alteri clero se adiungit: imo Decretum intimius inspiciendo, apparet quod

non omnino satisfactio oneris in eo denegatur, sed tantum generaliter, salvis remanentibus moralistarum placitis de hac re.

VII. *E Dioecesi Abulensi in Hispania.* **De Missa votiva de Spiritu S. in aperitione cursus scholastici.** In Seminariis aliquarum Dioecesium in aperitione scholastici cursus cantatur Missa de Spiritu Sancto, more votivarum solemnium. Nonnulli Sacerdotes, prae oculis habentes, causas quae permittunt Missas votivas solemnes, asserunt, inter praedictas causas non computari aperitionem cursus, proindeque Missam, de quae agitur, cantari haud posse.

Alii e contra Sacerdotes pro praefata Missa de Spiritu Sancto stant, et afferunt pro iustificatione suae assertionis tum consuetudinem tum rationem agendi, seu praxim collegiorum Romae existentium.

Quaeritur: Praedicta consuetudo retinerine potest?

Resp. Facillima responsio. Missae solennes *pro re gravi* illae dicuntur, quae cum interventu saltem *cleri et populi,* pro quadam necessitate, quae *communitatem ipsam,* nempe populum afficiat, celebrantur (Decr. Gen. *De Missis votivis,* II). Eiusmodi non videtur casus noster, cum de causa agatur peculiari communitatis, nempe alumnorum, ope divina rite instituendorum. Haec evadere posset causa gravis, si v. gr. novum erigeretur institutum, seminarium, etc., tunc enim hoc esset vere ad *commune bonum,* et Episcopus, in casu, Missam votivam de Spiritu Sancto imperare aut concedere posset, voce vel scripto non refert; ideoque bene Missa votiva cani valeret, etiam in duplicibus, cum *Gloria* et *Credo,* sine ulla commemoratione; esset enim vere Missa votiva solemnis *pro re gravi.* De hac vero gravitate, nemo inficiari potest, iudex est Episcopus (*Catalanus in Caerem., Ep. I. 28*). Nullo interveniente tamen Episcopi praecepto vel permissione, Missa de Spiritu Sancto in casu nequiret celebrari, nisi in die ritus semiduplicis, votivas non excludentis, et tunc more votivo, cum commemorationibus requisitis. Quod Romae

fit, ex legitima auctoritate procedit, quae indultum concedere potuit, et voluit, quod ceterum petentibus facile, credimus, alibi quoque concedere parata est.

VIII. *E regione Æmiliae.* **De festo elevato ad ritum duplicem II classis, in die octava occurrenti.** Ex Apostolico Decreto, anno 1900 emanato, festum S. Apollinaris E. M. pro tota regione aemiliana elevatum est ad ritum duplicem II classis, addita qualitate Patroni minus principalis totius regionis. Haec dispositio non tantum obligat clerum saecularem, sed et omnes regulares in illa regione degentes. Hinc est quod apud Patres Carmelitas, qui nonnulla domicilia habent in civitatibus aemilianis, ortum est dubium, quid sit agendum de huiusmodi festo S. Apollinaris, nunc II classis, cuius natalis occurrit die 23 Iulii, in qua ipsi agunt de die octava B. M. de Monte Carmelo: nam apud ipsos hoc festum decoratur octava ita privilegiata, ut non admittat nisi duplicia I et II classis; dubitatur itaque num festum S. Apollinaris retinere debeant in sede assignata, die 19 Augusti, an potius ad diem suam natalitiam restituere, cum commemoratione diei octavae B. Mariae de Monte Carmelo?

Resp. Videtur quod Pp. Carmelitae in casu, debeant omnino restituere festum S. Apollinaris in sua sede natalitia. Omnes enim S. Liturgiae doctores, nemine excepto, S. R. C. Decreta explicantes, conveniunt in hac sententia, quod festum a sua sede ablatum, ob maioris officii occurrentiam, si progressu temporis obstaculum removeatur, ad suam sedem sit restituendum, utpote suam diem natalitiam. Igitur in casu nostro, cum festum S. Apollinaris, in tota regione aemiliana ad ritum duplicem II classis elevatum sit, obstaculum nunc deest, quominus apud Patres Carmelitas, celebretur in sua die natalitia. Et reapse, in Rubricis Breviarii decernitur, quod dies octava cedat festo duplici II classis.

Et quamvis Patres Carmelitae, ex indulto Papae Pii VIII, celebrent festum patronae sui Ordinis cum octava privile-

giata, haec tamen non excludit duplicia I et II classis. Igitur dies octava B. V. de Monte Carmelo, locum cedere deberet festo S. Apollinaris, est enim nunc II classis, et festa II classis non debent omitti per hanc octavam privilegiatam.

Sed haec ratiocinatio bene procederet, supponendo, privilegium, quo gaudent Patres Carmelitae, nullam differentiam admittere inter dies infra octavam et ipsam diem octavam: quod nulla ratione admitti posse autumamus. Quamvis enim in privilegio nil forte expresse determinetur, de ipsa die octava, attamen, cum octava B. M. V. de Monte Carmelo, apud praefatos Patres, maioribus privilegiis gaudeat, quam octava Corporis Christi in Ecclesia universali; et cum dies octava Corporis Christi, excludat duplicia II classis, dicendum est, diem octavam B. M. de Monte Carmelo, apud Patres Carmelitas, excludere et ipsam saltem eadem duplicia II classis. Si aliter esset, haberemus Octavam minus privilegiatam diebus infra Octavam magis privilegiatam in die octava, et Octavam magis privilegiatam diebus infra Octavam, minus privilegiatam ipsa die octava. Quod rectum sensum minime comportare patescit. Compertum est enim apud omnes, ex spiritu et verbo legum liturgicarum, diem infra octavam, minoris esse dignitatis, quam diem ipsam octavam. Hinc, ex. gr., dies infra octavam Epiphaniae admittunt duplicia I classis, dies vero Octava, ea excludit. Dies infra Octavam Corporis Christi admittit duplicia maiora et minora, dies vero octava illa excludit, imo excludit quoque duplicia II classis. Ergo si non ex verbis, ex spiritu concessionis Pii Pp. VIII, retinendum est, quod eisdem legibus regatur Octava privilegiata S. M. de Monte Carmelo.

Patres ergo Carmelitae in regione aemiliana degentes, celebrent Officium S. Apollinaris in die hucusque assignata, sub ritu tamen II classis.

Quod si Calendarium perpetuum in illa regione Patres Carmelitae denuo ordinare decernant, tunc officium S. Apol-

linaris, utpote II classis, assignent ante omnia alia assignanda Officia, minoris ritus, dignitatis, etc., iuxta Rubricas. Ita salvo meliori iudicio.

IX. *E Gallia.* **De praecedentia inter officia, Patroni et Dedicationis Ecclesiae, diebus infra octavam.** Cuiusnam octavae officium agendum erit, ubi occurrunt duobus contiguis diebus Patronus loci, et Dedicatio Ecclesiae, in diebus infra octavam ?

Resp. Octava sequitur naturam festi: ergo infra duas Octavas occurrentes, celebrandum erit officium de octava festi nobilioris. In casu nostro Patronus loci, quia gaudet feriatione, praefertur Dedicationi, licet sit festum Domini; videtur ergo quod et praeferenda sit dies infra Octavam Patroni.

Si autem nos attendamus ad spiritum Decreti, quo statuitur Dedicationem Ecclesiae, licet festum dignius, quia festum Domini, locum cedere Patrono loci, quod agitur cum feriatione, videbimus, rationem huius praelationis totam sitam esse in feriatione; dicit enim Decretum n. **3881,** ad 2: *permitti nihilominus, ut Patroni festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis, praedicto anniversario* (Dedicationis) *praeferatur.*

Cum vero, haec ratio non existat in diebus infra octavam Patroni, dignitas personalis Octavae Dedicationis, exigit ut praeferatur Octavae Patroni; remoto enim obice, qui in casu esset feriatio, festum Patroni, non eius Octavam afficiens, dignitas Octavarum metitur iuxta Rubricas, ideoque in casu agendum erit Officium de die infra Octavam Dedicationis, cum commemoratione Octavae Patroni.

X. *Ex eodem loco.* **De Hymno angelico omittendo necne a Sacerdote Ritus Romani in Ecclesia celebrante ritus Romano-Lugdunensis.** Titius, Sacerdos ritum Romanum sequens, stationem quadragesimalem habet in dioecesi *Lugdunensi.* Iuxta ritum Romano-Lugdunensem, qui approbatus est pro hac dioecesi, omittitur *Gloria in excelsis* per totam qua-

dragesimam etiam in festis. Debetne Titius se conformare in hac re Calendario paroeciae, in qua celebrat, et omittere *Gloria in excelsis?;* an potius, cum debeat celebrari iuxta ritum Romanum, non autem iuxta ritum Romano-Lugdunensem, recitari teneatur Hymnum Angelicum?

Resp. In primis observandum erit, an in Decreto approbationis Ritus Romano-Lugdunensi, aliquid statuatur pro Sacerdotibus romanis celebrantibus in Ecclesiis lugdunensibus; Decreto enim tunc standum esset omnino.

Si vero nihil ad rem habeat Decretum ipsum, certo certius Titius in casu, ritui suo Romano se conformare debet; nam, quamquam Decretum de Missa in aliena Ecclesia obligat celebrare iuxta Calendarium illiusmet Ecclesiae, exceptis excipiendis, nihilominus cautum est ne celebrantes se conforment ritui speciali, si forte adest in illa Ecclesia. Tenetur igitur Titius dicere *Gloria in excelsis*, in Missis festorum, in quadragesima occurrentium.

Attamen si Titius celebrat Missam in cantu, vel saltem Missam conventualem legat, tunc in casu, Hymnum Angelicum omittere debet, quia, fictione iuris, tunc fit Sacerdos de gremio illius Ecclesiae. Ita fit a Sacerdotibus ambrosiani ritus, si Missam solemnem celebrant in Ecclesia romani ritus; et pariter id agitur a Sacerdotibus romanis Missam solemnem in Ecclesiis ambrosianis celebrantibus. Et rationabiliter, nam Missa solemnis et conventualis, cum sit, docente Benedicto XIV, pars nobilior totius liturgiae diei, omnino conformari debet ritui Ecclesiae in qua celebratur.

Hoc autem comprobatur quoque a S. R. C. Decreto 13 febr. 1892, n. **3768**, ad 3, in quo permittitur Sacerdotibus slavis Missam *solemnem* decantantibus in Ecclesiis linguae latinae, ut latinam Missam celebrent, et viceversa, Sacerdotibus latinis, Missam *solemnem* decantantibus in Ecclesiis slavis, ut similiter Missam in slavica lingua celebrent.

Ergo, multo magis in casu nostro, agitur enim de ritu Romano-Lugdunensi, qui in paucis discrepat a ritu romano.

Nihilominus, opportunum nobis videretur ad S. R. C., recursum habere et rescriptum obtinere, ut Sacerdotes romani ritus celebrantes in quadragesima in Ecclesiis lugdunensibus, Hymnum Angelicum omittere possint, in Missis quoque privatis, ob maiorem uniformitatem, ut populo non detur locus admirationi, et quia agitur de parva parte Missae, quae in ritu quoque romano, pluries omittitur.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Vico.* 1. *Q.* Expositio 40 Horarum durat hic per unam hebdomadam, ita ut fiat expositio matutina et vespertina. Benedictio impertitur tantum in ultima expositione, consideratur namque talis expositio una moraliter.

2. Tertia Dominica mensis in aliquibus Ecclesiis fit expositio matutina et vespertina, et in hac ultima tantum donatur Benedictio, quia etiam una moraliter consideratur.

3. Similiter una moraliter iudicatur expositio, quando in aliqua functione exponitur mane et sero, vel aliquibus diebus, nempe ob triduum vel novemdiale, ideoque tantum in ultima expositione impertitur Benedictio.

Hae consuetudines tolerandae videntur: rectene?

R. Quotiescumque Sanctissimum Sacramentum palam exponitur in ostensorio, antequam reponatur (esto quod pluries exponatur eadem die), omnino benedictio cum eodem impertienda est, et positive prohibetur illam omittere, ex Decreto S. R. Congregationis, diei 12 Iulii 1889, in *Tlascalen, seu Angelopolitana*, **3713**. Unde benedictionem omittere, ea de causa, quod una moraliter indicetur expositio facta pluries in die, vel triduo, hebdomada, sustineri nequit, quippe quod exponere significat palam, seu ante oculos ponere; ablato igitur e fidelium conspectu Sacramento, expositio finem habuit.

4. *Q.* In aliquibus Ecclesiis magnum est inconveniens, structura enim altaris non permittit ostensorium tollere, quin Sacerdos ascendat super altare, quod certe dedecet, ut coram populo fiat. In aliis ostensorium fixum est, aut tam magnum, ut e sacrario extrahi nequeat; quapropter quaero: Estne suffi-

ciens causa omittendi Benedictionem? Quatenus negative, potestne cum Pyxide dari Benedictio post depositionem? Et si iterum negative, potest haberi aliud parvum ostensorium in Sacrario in quo servatur Pyxis, ut cum eo impertiatur Benedictio, hora depositionis?

R. Circa modum exponendi in throno ostensorium, et illud tollendi, provideatur ut res agi possit cum reverentia, et absque populi admiratione; sin minus adhibendo, v. gr., ligneam scalam ad hoc paratam, ut ascensio et descensio facile et decore fiat.

Quod si ostensorium deponi nequeat, auferatur saltem sphaera, seu superior pars, alteri leviori fulcimento aptanda ad benedicendum, aut S. Hostia cum lunula (ostensorio apte constructo) alteri minori ostensorio apponatur, prout fit, v. g., in Vaticana Basilica. Nullimode probari potest usus benedicendi in casu cum sacra Pyxide, quia et ritui solemniori eiusmodi actus non respondet, et non convenit benedictionem impertire cum Speciebus diversis ab expositis.

5. *Q.* Potestne Episcopus Benedictionem cum SS. Sacramento impertire sine baculo et mitra et tantum comitatus Presbyteris superpelliceo indutis? Quatenus negative, debetne habere Diaconum et Subdiaconum, an duos Diaconos assistentes? Si negative ad primum et affirmative ad secundum, debentne hi esse parati amictu et dalmatica, an habitu chorali induti? Debetne Episcopus uti baculo et mitra?

R. Episcopus solemnem functionem celebraturus, semper pontificali ritu procedere debet, idcirco pro solemni benedictione cum Sanctissimo Sacramento praeter pluviale, etiam mitram gestabit, et adhuc baculum; ministros porro assistentes sacris paramentis indutos esse oportet. An vero debeant esse Diaconus et Subdiaconus, videtur debere affirmari, ex Decreto **3526**, quo edicitur, teneri Canonicos munus *Diaconi* et *Subdiaconi* exercentes induere Tunicellam; et ex alio Decreto, n. **4030**, statuente Diaconum porrecturum Sanctissimum

Sacramentum Episcopo, assumere debere etiam stolam, et non tantum dalmaticam: Prohibentur autem in casu duo Canonici non parati, sed tantum habitu chorali induti, ex Decreto diei 15 Ianuarii 1881, in *Placentina*, ad II, n. **3526**.

II. *Pro S. Iacobo de Cuba.* 1. *Q.* Quodnam officium recitare debet Episcopus, private illud persolvens, diebus quibus calendarium Ecclesiae Cathedralis non concordat cum calendario Dioecesis?

R. Cathedralis Ecclesiae clerus est utique Capitulum, cuius tamen caput naturale est ipse Episcopus, ex quo nomen et dignitas Cathedralis; ideoque Ecclesia cathedralis est Ecclesia propria Episcopi, in qua totius Dioecesis adunatur Ecclesia cum universo clero. Episcopus igitur officium recitare debet calendario Ecclesiae suae conforme, idest Cathedralis, etsi private illud persolvat.

2. *Q.* Quaenam Missa legenda ab Episcopo si in Oratorio suo celebret, vel in aliqua Ecclesia civitatis seu Dioecesis?

R. Missa semper conformis suo officio, in suo sacello, cum suum proprium, quod est cathedralis Ecclesiae, calendarium ibi vigere debeat. In ceteris vero publicis Oratoriis et Ecclesiis, conformis calendario ibidem vigente, iuxta Decreta.

3. *Q.* In unico coemeterio quod extat sepeliuntur absque ulla distinctione cadavera tum catholicorum, tum protestantium aliorumque acatholicorum, imo et ethnicorum et quandoque in eodem loculo cum illis. Et quoniam impossibile est obtinere a gubernio locum separatum, quaeritur: debetne singulis vicibus benedici loculus; antequam catholici cadaver deponatur? et quaenam indumenta sumere debet tunc Sacerdos?

R. Utique hoc in casu singulis vicibus, immediate ante ipsam depositionem defuncti, benedici debet loculus, seu paratus locus depositionis, uti praescribitur in Rituali Romano (*Tit. VI, cap. 3, n. 12*), formula et ritu ibidem positis. Nihil vero ibidem dicitur de indumentis, quia non alia requiruntur, quam quae iam induit Sacerdos in delatione cadaveris, et

plene consona sunt ritui implendo, nempe cotta et saltem stola nigri coloris, seu etiam pluviale. Cum enim haec benedictio pars sit exequiarum, utique qualitas et color paramentorum iisdem convenire debet.

III. *Pro Missionibus (Hong-Kong).* 1. *Q.* Utrum vi Decreti generalis **4025**, de festis Titularium celebrandis in Ecclesiis sive Oratoriis publicis, aliquod in praecedentibus Decretis **3554** et **3571** immutatum fuerit, praesertim pro Missionariis exteris; et utrum, nisi quoad Officium divinum (quod non mutandum facile agnoscitur), saltem quoad Missam quoddam praeceptum in casu inducatur per praefatum Decretum **4025**?

R. Decretum **4025** nihil omnino habet, quod duobus aliis Decretis adductis adversetur, uti facile patet ea inter se conferentibus. Ibi enim statuitur, quomodo, quando et a quibus Titularium festa sint celebranda; in his vero de quanam Ecclesia missionarii, pluribus inservientes, celebrare debeant Titulare cum Officio et Missa. Hi igitur celebrare tenentur festum Titularis Ecclesiae in qua ordinariam residentiam habent; ast quandocumque, sive in transitu, sive in actu Missionis degunt in aliqua Ecclesia vel publico Oratorio, saltem solemniter benedicto, die in quo occurrit festum titulare illius Ecclesiae vel Oratorii, Missam de eodem, praescripto ritu, nempe duplicis primae classis cum octava, celebrare tenentur.

2. *Q.* Nonne immutanda Rubrica in 2.Vesperis S. Elisabeth, die 8 Iulii, una cum ℣. *Ora pro nobis...*, iuxta Decretum **1918**, ad 1?

R. Iuxta Decretum in una *Ordinis S. Benedicti* in ultimo numero harum Ephemeridum evulgato, ad VI, non modo Rubrica et ℣. immutandi sunt; sed ita esse agendum etiam in similibus casibus, manifeste patet. Quid vero dicendum de responsione ad 1, Decreti **1918**? Quoad ℣. *Ora pro nobis...* videtur abrogatum, per hoc subsequens Decretum; salva tamen dispositione Rubricae ibidem citatae, qua generaliter statuitur, bis non dicendum eumdem ℣; quod tamen in hac

responsione habetur, minime aptandum est ad ℣. *Ora pro nobis,* hac forte de causa, quia hic agitur de quadam simplici invocatione (V. *Ephemer.* mens. Iulii vertentis anni, *pag. 443*).

Nota. Quaerit Rev. Consulens, an extet latinus textus authenticus *Instructionis Clementinae* pro Oratione XL Horarum? Quod sciamus, nulla hucusque prodiit authentica latina versio Instructionis italico sermone pro Urbe ab E.mo Card. Marefoschi, Papae Clementis XII Vicario, publicatae; et in ipso III vol. novissimae collectionis Decretorum S. R. C., in quo tamquam appendix invenitur, vulgari seu italico sermone exarata est. Privata versio latina vero invenitur in IV vol. praeclari operis Ill.mi et R.mi Episcopi Van-der-Stappen (*Sacra Liturgia* Tract. de Sacramentis et de Sacramentalibus). Cum autem plurimi eam exoptent separatim vulgatam et notis opportunis pro eius extra Urbem usum, hodie utique tam salubriter invectum, proxime his in Ephemeridibus latine evulgabitur, adiectis brevibus adnotationibus.

IV. *Pro Gallia. Q.* Possuntne Rubricae tum Breviarii tum Missalis Romani in lucem edi ad litteram, et titulis numerisque retentis, dividi per commata et parvas particulas, ut studiosis melius consulatur?

R. Unde oriri possit haec dubitatio non videmus; quaenam enim lex unquam prohibuit Rubricas seorsim, et ab ipsis Breviiaris ac Missalibus seiunctim, typis mandare? aut quae praescripsit huius impressionis modum? Dummodo igitur nil in textu Rubricarum innovetur, addatur seu dematur, bene poterunt transcribi, typisque mandari distinctae per commata, atque in particulis dissectae; typorumque diversitate patefieri partes, quae magis considerandae veniunt; imo et explanare, commentariis illustrare, notisque completare, dummodo haec omnia ab ipso textu distincta sint, appareantque.

QUAESTIUNCULAE

I.

De canonicalibus insignibus.

Quaestio.

Canonici Cathedralis L. a S. P. Pio IX S. M. privilegium obtinuerunt deferendi in Choro, aliisque ecclesiasticis functionibus *cappam-magnam*, uti vocant, rubri coloris, non tamen purpurei, pellibus armellineis subsuta, hyemali tempore; serico purpureo autem, tempore aestivo. Nunc vero orta est quaestio, post latum Decretum in *Salernitana*, 9 Maii 1884, n. **3610**, ad 1, utrum in Adventu et Quadragesima, aliisque diebus ieiuniorum, nec non in officiis pro defunctis eadem cappa uti possint, an vero simili, sed coloris violacei.

Solutio.

Apostolicae Sedis est concedere huiusmodi privilegia Canonicorum collegiis, utendi nempe choralibus insignibus, plus minusve solemnibus et decoris.

Est tamen consuetudo ut in Brevi concessionis clarissime indicetur forma, color, et usus horum insignium.

Aliquibus Capitulis, non unicum indumentum chorale, sed bina concessa fuere; aliud minus solemne, pro diebus ferialibus, et toto tempore Adventus, et Quadragesimæ, etc., solemnius aliud pro festis diebus, uti Capitulis Mediolanensi, Pisano, Fidentino et aliis quamplurimis.

Notum est etiam, Eminentissimos Patres Cardinales S. Romanae Ecclesiae tres diversi coloris habitus habere, pro varietate temporum. Habitum coloris purpurei, in festis per annum; coloris violacei in Vigiliis, Quatuor Temporibus, Adventu et Quadragesima, exceptis solemnioribus diebus, nec non in officiis defunctorum; coloris rosacei, in duabus Dominicis, *Gaudete* et *Laetare* nuncupatis: hoc vero tam in Cappa, quam in vestibus praelatitiis. Episcopi vero habitum praelatitium coloris violacei toto anni tempore gestare solent, sed ex Caeremoniali in nigrum convenientius immutarent diebus ieiuniorum et tertiis feriis per annum; verum, quoad cappam nunquam colorem mutant, sed per totum annum eodem colore violaceo utuntur. Ita et Canonici Cathedralium et Collegiatarum, quibus unus tantum habitus choralis concessus est.

Nunc vero pro solutione nostrae quaestionis, videndum est Decretum, quo Pius Pp. IX insignia choralia concessit Canonicis L.; vel enim unum tantum concessit insigne, licet solemnissimum et in colore fulgidissimo, et tunc semper illo solummodo uti debent, etiam in Quadragesima, etc.

Nihil enim ad rem facit citatum Decretum in *Salernitana*, n. **3610,** quod sic se habet: " *Dub 1.* Ex veteri consuetudine Canonici ipsius Ecclesiae (Salernitanae), in festo Annuntiationis B. M. V., etiamsi in Quaragesimam occurrat, choralibus insignibus rubri coloris uti solent. Quaeritur: Num, attenta recentiori Rubrica quoad festum S. Ioseph B. M. Sponsi, adhiberi debeant in casu insignia coloris violacei, an rubri? „ Et S. R. C. respondit: " Uti posse... colore rubro. „

Ex quo patet amplissimo capitulo Salernitano, concessum fuisse duplicem habitum choralem, unum violacei, et alterum rubei coloris; alioquin in dubio duplicis huiusmodi coloris non fieret mentio. Ergo S. R. C. responsio tangit tantummodo Capitulum Salernitanum, et ad summum alia Capitula pluribus distinctis insignibus utentia; quae in festo

S. Ioseph, utpote nunc ex solemnioribus, immutant, et relicto habitu violaceo, licet tempus decurrat quadragesimale, alio habitu rubri coloris uti possunt.

Praxis est insuper omnium Capitulorum, quae novimus, unica insignia habentium, quae, etsi colore per se festivitatem denotanti fulgeant, numquam immutent.

Nil itaque attinet Canonicos illos, qui unico tantum habitu chorali donati sunt.

II.

De SS.mo Sacramento per Sanctimoniales medio quodam machinismo exponendo.

Quaestio.

Usus invaluit, consentientibus Episcopis Superioribusque Sanctimonialium sub clausura degentium, quo, in ipsarum Ecclesiis, ita disposita sint et efformatae custodiae SS. Sacramenti, ut a monialibus ostiolum aperiri et velum amoveri possit, quin Ciborium proxime attingant; sicque Sacra hostia in ostensorio posita palam apparens, ab ipsis adoretur. Potest ne talis usus probari, vel saltem tolerari?

Solutio.

Usus, de quo in casu, quin probandus, nec tolerandus est, imo omnino proscribendus, utpote abusus intolerabilis, foemineae divotionis partus, non solidae pietatis effectus.

Nonne Eumdem Dominum venerarentur tectum velo, sicut et detectum? An forte aliquid oculis carnalibus apparet de maiestate Ipsius, quod fidei oculo non apprehenditur? Sed dices, ad quid ergo in Ecclesiis solemniter exponitur, in throno collocatur, Hostia patente, in Ostensorio? Nonne ut fidelium oculis appareat Sacramentum, et iidem ad

maiorem devotionem ac pietatem excitentur, fidem vivificent, et adorationis ac reverentiae potiores actus elicientes, Dominum venerentur? Imo nonne Dominus ipse, saltem ut sensus fert fidelium, abundantiores gratias et dona coelestia, eo in casu, in circumstantes et in totum populum effundit? Unde et pro gravibus Ecclesiae et populi necessitatibus, hoc est, cum maioribus indigemus auxiliis, solemnes expositiones SS. Sacramenti facere in Ecclesia solemus. Quibus ut alacriores et frequentiores adsint fideles, Ecclesia thesaurum indulgentiarum distribuit.

Neque opponi potest quod tantum pro magna et extraordinaria totius Ecclesiae vel populi causa hoc sit permittendum; nam praesenti saltem Ecclesiae praxi inspecta, ita frequenter hae expositiones fiunt, et pro tam privatis interdum ac exigui momenti causis, e. g. ad quotidianas ordinariasque devotiones, ad benedictionem impertiendam etiam paucis fidelibus, quae certo certius et cum sacra Pyxide impertiri poterit, eodem uti supponitur cum fructu, ut fere dicendum veniat, quod nulla interveniente causa, sed pro lubito simpliciter exponi possit. Neque item obest lex consensum Episcopi requirendi, nam hic consensus quamquam efficit ut ordinate et licite res agantur, minime efficere potest, ut causa per se levis et peculiaris ex hoc gravis et publica evadat. Neque tandem requiritur magnus concursus, ita ut vere dici possit, quod populus adsit, nam quam frequentissime pauci adsunt fideles; uti in triduanis seu novendalialibus precibus, etc., in quibus saepe adeo tam pauci adsunt fideles, ut longe maior sit interdum numerus in una Sanctimonialium communitate. Quare ergo in hac permitti non debet, quod tam facile in publicis Ecclesiis fit?

Fatendum, solemnem expositionem SS. Sacramenti, imo et privatam, seu melius simplicem, nempe reserationem ostioli Tabernaculi et ostensionem Ciborii seu Pyxidis, aliquid humano sensui praeseferre, quod non praestat Sacramentum in Taber-

naculo inclusum; et quamvis recta fides minime dubitet de reali praesentia D. N. I. C. in Tabernaculo, attamen, ex hoc ipso quod inclusum et repositum dicatur, aliquo modo ut absens iudicatur. Hinc et Ecclesia longe maiori cultu et ornatu, solemnioribusque caeremoniis circumdat cum expositum est, quam cum in Tabernaculo est inclusum, sinitque ut tunc diu noctuque asservetur, quin fideles adsint, et Ecclesiis reseratis; contenta quod lumen tantum perpetuo luceat. Videtur igitur etiam ex sensu et praxi Ecclesiae quid maius esse exponere solemniter SS. Sacramentum, ita ut sacra Hostia pateat corporalibus oculis, aut etiam minus solemniter in Pyxide clausum, reserato tantum ostiolo Tabernaculi, quam adorandum relinquere omnino in Tabernaculo contentum et obseratum.

Et revera, si naturam Sacramentorum consideremus, inveniemus eam ita esse a D. N. I. C. constitutam, ut toti humanae naturae aptentur; et non solum spiritum vegetent, sed et carnem purificent atque sanctificent; imo prius corpus quam mentem, et ex sensibilibus ad insensibilia et spiritualia manuducant. Nec Sacramentorum tantum haec natura est, atque indoles, sed totius religionis, ita ut plene atque perfecte naturae humanae aptata sit et conformata, et omnes religionis actus elevati utique sunt, et a divino spiritu informati, sed semper retinent naturam et indolem humanam. Ex sensibilibus igitur homo ad insensibilia et spiritualia ducitur: nec ad divina pervenit, nisi humano gressu et modo.

Ad excitandos igitur devotionis affectus, multum iuvant actus externi cultus, et omnis apparatus sensibilis et materialis, dummodo recte homo sit dispositus et ad divina comparatus. Imprimunt enim in nostris sensibus, fantasiam excitant, affectus commovent, et mens fide imbuta, ad divina conscendit. Recte igitur et divino spiritu afflata Ecclesia catholica has SS. Sacramenti ostensiones permittit, non solum, sed ut frequententur fideles excitat, spirituales gratias elargiendo.

Haec omnia optime, dummodo rite et cum ordine fiant; nihil enim in Ecclesia inordinatum esse debet, praesertim circa cultum divinum et ipsa divina. Quod si aliter fieret, quin sensibilia ad insensibilia ducant, abducunt; et sensum fidei pervertentes, pro religione superstitionem, pro pietate impietatem alerent.

Ad hoc, non tantum Ecclesia sed Ipsemet Christus Dominus, non omni populo, sed electis ab ipso dedit Sancta conficere, ministrare et tangere; unde Apostolus " nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo „, et Ecclesia, ex D. Thoma " solis Presbyteris, quibus sic congruit ut sumant et dent ceteris „.

Et quamvis hoc in casu nec minime Sacramentum tangatur, attamen reverentia summa Ipsi debita hoc requirit, ut nihil circa ipsum agatur, nisi a Presbyteris, quibus solis competunt, quae circa Ipsum sunt.

Quod et devotioni, pietati et religioni maxime confert, cum ex hoc augeantur reverentia, fides, aliaeque virtutes erga SS. Sacramentum. Merito igitur Ecclesia (in *Colimen.*, die 12 Iulii 1901, ad 1 et 2), prohibuit ne etiam a clerico vel aedituo in Missa, sive extra, patefieret, remoto a longe, funiculo mediante, velo, SS. Sacramentum in antecessum in throno collocatum: praesefert enim id quoddam theatrale et comicum.

Quod si hoc clericis aut aliis Ecclesiae inservientibus prohibitum est, quanto magis foeminis, etsi Sanctimonialibus, quibus omnino interdicuntur omnia, quae circa Altare versantur, atque divinissimum hoc Sacramentum.

Si igitur tanta eis inest devotio, accersant Presbyterum, Diaconum saltem, qui ea praestet, praescripto ritu et cum debita reverentia, ex quibus maiores in eis excitentur sensus pietatis et devotionis, quos cupiunt.

III.

De v. meruit beatas immutando necne, quando festum Conf. tantum commemoratur.

Quaestio.

Quando festum alicuius sancti Confessoris celebratur die immediate sequenti suam diem natalitiam, mutari ne debet tertius versus in hymno *Iste Confessor,* etiamsi in primis Vesperis facta sit tantum commemoratio?

Solutio.

Pluries in Ephemeridibus nostris actum est de mutatione tertii versus in hymno *Iste Confessor,* praesertim occasione Decreti **3892**, ad 2. Nulli dubium, quod ita prosequi debet hymnus, cum festum idem prosequitur, sicut inceptum est; initio enim, prosecutione et fine res tota constituitur, ac ideo sibimet consona sit oportet, ne difforme quid in semetipsa habeat. Hinc recte Decreto **4033** statuitur, non mutandum tertium versum in hymno *Iste Confessor,* ad Matutinum, quando non mutatus est ad Vesperas; imo et per totam octavam, si festum illam habeat. Ita ex Decreto **2365**, ad **3**, docent auctores, et hae nostrae Ephemerides, quae et ulterius progressae sunt, docentes idem faciendum, si, extra totam suam octavam amandatum festum, celebretur die immediate sequenti, et habeat primas Vesperas, saltem *a capitulo;* quod tamen Illmo Dño Van-der-Stappen non probatur.

Doctrina igitur certo tenenda, firmata Decretis, statuit, non mutandum tertium versum in casu, dummodo festum habeat primas Vesperas saltem *a capitulo.* Sed quid, si festum ita translatum, in primis Vesperis habeat tantum comme-

morationem? Tunc, sicut et alias docuerunt hae Ephemerides, et auctores (V. Van-der-Stappen, *De Divino Officio, q. 199, 2°*), Decreto innixi supracitato, n. **3892,** ad 2, docent, mutandus est tertius versus ad Matutinum; non enim prosequi potest, quod incoeptum non est; et cum festum non celebretur die sua, *hac die* meruisse beatas scandere sedes non verificatur. Haec tuta sententia est, et communis, innixa Decretis, adeoque tenenda, usque dum aliter a S. R. C. statuatur.

Sed numquid, aliquo saltem modo, sustineri non potest opposita sententia, et probari, quod spiritui legis minime sit difformis, ita ut S. R. C. aliquando statuere possit, quod, et in casu, nempe si tantum commemoretur festum in primis Vesperis, ad Matutinum non mutandus sit tertius versus?

Primo habetur, quod et ex ipsius S. C. sententia, aliquando prosequitur quod et si non facto, iure tamen incoeptum est. In citato enim Decreto **2365**, ad 3, statuitur: " Nec praedicta mutatio fiet quando Officium festivum Sancti habentis octavam non ultra octavam transfertur; quia tota octava nihil aliud est, quam extensio ipsius Festi, et ideo versus idem per reliquos octavae dies, qui forte supererunt, retinebitur. „

Constat enim nihil de octava usque modo celebratum esse; nam ex Rubrica nihil fit de octava usque dum festum ipsum celebretur; et octava utique unum quid constituit cum festo, dummodo festum revera celebretur. Fictione iuris tantum dicitur infra octavam, facto vero nihil est, usque dum festum celebretur.

Quamvis igitur de facto dictum non sit *meruit beatas*, attamen, quia iure infra octavam celebratur festum, illud retinet. Hoc et ex Decreto item supracitato, **4033** (quo statuitur, non mutandum tertium versum, quando mutatus non est ad Vesperas), si verba intimius perpendantur, apparet; dicit enim: " sicut dicendum est *meruit beatas* ad primas Vesperas, etc., „ hoc est: sicut dici debet, seu, sicut ius habet

ut dicatur. Igitur non tantum de facto, quod sit dicendum, sed de iure videtur decernere. Ius vero, quod quis habet, minime amittitur, etsi, per accidens, seu occasione aliqua, illud exerceri non possit.

Sed dices: ex hoc quod non potuit dici ad Vesperas, ius non acquisivit, adeoque retinere non valet. Et revera, in casu, festum per se non habet ius ad illud, nam non celebratur die sua; et tantum datur ut retineat ex facto, quod nempe dictum sit ad Vesperas, et prosequi convenit quod incoeptum est. Quando igitur dictum non est ad Vesperas, neque dicendum ad Matutinum, in quo, per se, cum non sit die sua, non est dicendum.

Ius igitur, quod ex facto promanat, dempto facto, evanescit. Optime igitur in Decretis statuitur, quod si dictum sit ad Vesperas, dicendum est et ad Matutinum, **4033**; si vero ad Vesperas dictum non est, neque ad Matutinum dicendum, **3892**, ad 2.

Neque valet argumentatio ex verbis Decreti **4033**, nam ibi dicitur " *in casu*, " et casus adductus respicit factum; et quin petatur, an versus ille dicendus sit ad Vesperas, petitur an, dato quod dicendus sit ad Vesperas, dicendus sit et ad Matutinum, an mutandus: adeoque responsio non tam respicit quid faciendum sit ad Vesperas, quam ad Matutinum, et regulam statuit, nempe quod omnia prosequi debent sicut coeperunt. Non igitur decernit, quid faciendum determinate sit ad Vesperas, sed supponit ex petitione.

Optime igitur ex hoc Decreto tantum deducitur, quid faciendum est post factum ad Vesperas; sed non determinat expresse quid faciendum venit, posito tantum iure ad Vesperas; et quin excludat sententiam affirmantem, ex modo loquendi, statuere videtur. Quod vero dicitur de iure, quod non habet, quia celebratur die non sua, verum esset si omnino et ex integro celebraretur, die non sua, sed quando iam incepit die sua, tum totum festum die sua aliquo modo

celebratur, ex principio eiusdem Decreti, quod ita prosequi debet festum sicut incoepit.

Quod autem revera festum incoeptum est in Vesperis, etsi sola commemoratio de eo facta sit, apparet ex multipliciter discussis in his Ephemeridibus, circa ordinem commemorationum ad Vesperas, iuxta reformatas Rubricas. Vere enim festum concurrit, ex quo commemorationem habet; concurrere vero non potest, quod incoeptum non est.

Quae doctrina robur accipit et ex recenti Decreto, supra, in hoc eodem Ephemeridum numero vulgato, in quo statuitur, dicendam esse ad Vesperas doxologiam festi sequentis propriam, si habet, etsi festum sequens tantummodo commemoratur. Ex quo apparet festum iam incoepisse, antequam commemoretur.

Sed fatendum, difficile reponi posse Decreto **3892,** ad 2, ad Rubricam amandanti, contrarium stabilientem. Sed iam diximus, tum ex hoc Decreto, tum ex Rubrica, loco a citato Decreto indicato, tum ex auctoribus, mutandum esse tertium versum, saltem si de festo facta sint tantum commemoratio. Hic vero quaerimus, an spiritui Rubricarum conformis sit altera sententia; quod utique ex dictis videtur.

Sed et ipsis Decretis omnino non esse contrariam sententiam etiam aliquo modo apparet. Iam ex Decreto **4033** aliquid pro ea intulimus, sicut et ex Decreto **2365,** ad 3, in quo clare statuitur, non in facto sed in iure sistendum esse; et sicut ius habet festum, quod infra suam octavam celebratur ad *meruit beatas*, etsi die sua non sit dictum, ita et ius habet festum, quod die sua incoepit, et prosequitur die sequenti, etsi de facto non sit dictum ad Vesperas. Sed et ex hoc eodem Decreto, quod adducitur in contrarium (et est unicum), aliquid et pro nostra sententia forte erui potest. Vere in responsione ad 2, decernit, mutandum esse tertium versum in casu; et in responsione ad 1 dicit, non mutandum esse in casu, nempe in festo S. Petri Damiani, et S. Al-

phonsi M. de Ligorio, ad Breviarium typicum et Martyrologium appellans. Videntur enim sibi invicem non cohaerere hi duo codices. In Breviario enim typico habetur, hos duos Sanctos migrasse ad Dominum pridie quam festum ipsorum celebretur.

De illo enim dicitur, migrasse VIII calendas Martii, dum festum celebratur VII calendas; et de isto, migrasse calendis Augusti, et eius festum agitur die sequenti (2 Augusti). In Martyrologio vero eorundem elogium ponitur die ipsorum festo, quin indicetur dies transitus, ex quo datur intelligi, ea ipsa die recurrere. Consona igitur sibi invicem non videntur loca, ad quae Decretum amandat; nisi dicere velimus Martyrologium nihil agere de die natalitia, sed tantum de festo. Breviarium igitur attendentes, habemus festa Sanctorum Petri Damiani et Alphonsi Mariae de Ligorio celebrari postridie eorum natalis, et commemorari tantummodo ad Vesperas; et tamen Decretum edicit non mutandum tertium versum.

Quidquid igitur sit de hac responsione huius Decreti ad 1, ex supra disputatis apparet, non esse contra spiritum Rubricarum et Decretorum, imo maxime conformem sententiam, qua statuitur, mutandum non esse tertium versum in hymno *Iste Confessor* ad Matutinum, etsi minime dictus sit ad Vesperas. Quod et ex inconvenienti, quod alias consequeretur, confirmari poterit. Nonne dissonum et inconveniens esset, si ex duabus Ecclesiis, forte eiusdem dioecesis aut civitatis, quae eadem die, de eodem Sancto, officium habent, in una diceretur *meruit supremos,* in alia *meruit beatas?;* imo ex duobus Presbyteris, duabus Ecclesiis addictis et una simul recitantibus idem officium, unus dicere debeat *meruit supremos,* alius *meruit beatas,* et hoc ex diversa concurrentia, quae, aliqua ex causa, non fuerit conformis ad Vesperas? Quanto igitur simplicius et aptius si una tantum norma statuatur edicens non mutandum tertium versum quomodocumque festum concurrat ad Vesperas? Ita, salvo meliori iudicio.

IV.

De ordine translationum pro particulari Calendario.

Quaestio.

Utrum Officium particularis Ecclesiae, accidentaliter impeditum, collocari possit in Calendario dioecesano prima die libera post accidentales translationes ibi iam factas, quin attendatur ad ordinem a Rubricis praescriptum?

In Ecclesia parochiali loci B. plures Reliquiae insignes inveniuntur, ita ut non solum agantur festa cum octava Titularis et Dedicationis, sed officia quoque singulorum Sanctorum quorum habentur Reliquiae insignes. Hinc necessario accidit quod ordo translationis officiorum in Calendario Dioecesis, quotannis edito, nonnullas variationes subire debet, ut iuxta Rubricas translationes in Ecclesia B. rite disponantur. Quaeritur ergo: Num applicari possit dispositio Decretorum n. **2378,** ad 4, et **2494**, ad 1, et **3919,** ad 16, in casu.

Solutio.

Ut huius quaestionis sensus magis eluceat, illustrabimus exemplo.

In Calendario dioecesano pro anno 1901, festum Dedicationis omnium Ecclesiarum assignatur Dominica III Iulii die nempe 21, eiusque octava die 28. In Ecclesia B. illiusmet Dioecesis, hac die 28, agendum esset de S. Nazario, ritus dup. mai. ut patrono minus principali, qui proinde transferendus est tamquam impeditus a die octava. Pro eius translatione libera esset dies 13 Augusti; in Calendario enim dioecesano vacua invenitur, sed *hoc anno* 1901 impedita et ipsa est ab officio S. Basilii E. C. Doct. (f. die 14 Iun.).

In Ecclesia ergo B. quando celebrabitur officium S. Nazarii, dicta die 13 Augusti?, an die 3 Septembris, in qua a Calendario huius anni ponitur officium votivum, utpote omnino libera?

Aliis verbis translationes accidentales Ecclesiae B. operandae sunt in diebus, quae vacuae inveniuntur in Calendario dioecesano huius anni, vel potius, iuxta ordinem a Rubricis institutum, nullo habito respectu ad translationes in Calendario dioecesano hoc anno peractas?

Ante omnia videndum est, an in casu nostro applicanda sint decreta **2378,** ad 4, **2494,** ad 1, et **3919,** ad 16.

Primum habet: " *Cum aliquod festum iam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus ut coetera alia festa post ipsum translata a diebus sibi respective assignatis denuo removeantur; ni forte nova calendarii constructio ex integro assumeretur.* "

Secundum decernit: Officia perpetuo translata in Calendario Ordinis non sunt removenda ab assignatis sedibus, sed *relicto calendario Ordinis, assignari* debent *post illos aliae dies, iuxta calendarium Provinciae.*

Tertium vero, die 30 Iunii 1896 emanatum, clarius praescribit: " *Calendarium cuiuscumque provinciae redigatur super calendario perpetuo Ordinis; calendarium vero cuiuscumque coenobii super calendario respectivae provinciae.* "

Horum decretorum dispositiones, manifesto tangunt solummodo repositiones perpetuas, in calendariis; ergo Calendarium perpetuum Ecclesiae B, in casu nostro, construendum est super Calendario dioecesis A, in qua existit; ideoque festa Sanctorum, quorum Reliquias insignes possidet, inscribenda sunt diebus propriis natalitiis, et officia iisdem diebus inscripta in Calendario perpetuo dioecesis, assignabuntur diebus vacuis post omnes assignationes perpetuas in eodem Calendario dioecesano perpetuo peractas. Ita omnes scriptores docent, ita S. R. C. decrevit.

Sed, ut patet ex lucidissima locutione horum decretorum, eorum dispositiones, ut diximus, tangunt solummodo repositiones *perpetuas*, casus vero noster agit tantum de *translationibus accidentalibus* unius anni; ergo non sunt applicanda citata decreta.

Id evincitur ex alia ratione. Uti docent Ephemerides nostrae (*Vol. 2, pag. 330*), Calendarium liturgicum dividitur in *Universale* et *Particulare*.

Illud est institutum pro universali Ecclesia, et promulgatum in Breviario Romano, continens festa omnia per Orbem concessa. Particulare dicitur Calendarium, quod pro particularibus Ecclesiis inservit. Hoc vero adhuc distinguitur in Calendarium *dioecesanum* et Calendarium *propriae Ecclesiae*. Illud inservit pro tota dioecesi, vel si agatur de Regularibus, pro toto Ordine aut provincia. Istud inservit pro clero alicui Ecclesiae adscripto, in quo Calendario inscribuntur festa Ecclesiae universalis, et dioecesis, sed et alia specialissima festa illimet Ecclesiae concessa, ex. gr., ob Titulum, vel Dedicationem Ecclesiae, vel ob Patronum loci, vel ob Reliquias insignes inibi adservatas.

Calendarium hoc particulare, *perpetuum*, construendum est quidem, uti praescribunt citata decreta, super Calendario universali et dioecesano, ideoque officia universalia aut dioecesana, quae impediuntur *perpetuo* a festis particularibus illius Ecclesiae, transferenda sunt post omnes translationes in dioecesano calendario peractas; sed in constructione Calendarii unius annis, ordo translationum agi debet iuxta Rubricas, reformatas.

Ratio est, quia constructio Calendarii perpetui, perficienda est ut in citatis decretis n. **2378**, ad 4, **2494**, ad 1, et **3919**, ad 16; constructio vero Calendarii unius anni non regitur a dispositionibus illorum decretorum, sed a legibus Rubricarum. Ideoque prima dies libera in casu nostro, in qua transferendus est S. Nazarius, non est dies 3 Septembris, bene

vero 13 Augusti. Neque valet dicere, quod hoc anno 1901 in calendario dioecesano, dies 13 Augusti impedita est ab officio hoc anno translato S. Basilii Ep. Doct. quia, quum Rubrica dicit aliquod festum transferendum esse in *primam diem liberam*, intendit liberam in Calendario perpetuo; itaque cum construitur Calendarium Ecclesiae B, dies 13 Augusti revera est libera, ideoque inibi collocandum officium translatum S. Nazarii, dup. mai., et die 3 Septembris, loco officii ferialis, vel votivi, agendum erit officium S. Basilii.

Si ergo plura essent officia translata in Calendario dioecesano 1901, redactor Calendarii particularis Ecclesiae B, ordinare debet omnia ista translata officia, ita ut S. Nazarius dup. mai. primam diem occupet liberam ante omnia duplicia minora, iam in Calendario dioecesano disposita [1]

[1] Haec propositae quaestionis solutio adamussim respondet legibus liturgicis, Decretis S. R. C., et universali praxi Rectorum observantiorum Ecclesiarum atque religiosorum Ordinum coenobiorum. Hinc plures calendariorum redactores sive dioecesum sive communitatum, in annuali calendario respectivae dioecesis, sive provinciae, variationes pro singulis Ecclesiis seu coenobis in ipso calendario inserere satagunt vel respectivis in locis, uti occurrunt, vel in appendice. Et revera nonne unusquisque pro sua Ecclesia vel coenobio quotannis redigere calendarium deberet, quin expectaret calendarium dioeceseos vel provinciae, et tum nonne secundum ordinem iuxta Rubricas in suo calendario perpetuo inserere deberet festa translata? Eodemque ordine igitur reponereea debet etiamsi calendarium dioecesis vel provinciae recipiat. Quod utique editur. non ut hoc tollatur onus cuicumque Rectori Ecclesiae vel coenobii incumbens, sed ut commodius evadat opus singulorum. et ut facilius quisque pro sua Ecclesia, quae mutanda venient, mutent et ordinent.

Attamen negandum non est, communem sententiam, parvam aliquam non afferre difficultatem, et incommodum quoddam. Pluries enim accidit, ut permulta amovenda sint officia, iam in dioecesano calendario translata, ob unum tantum, quod in particulari Ecclesia debuit anteponi. Perpauci insuper inveniuntur Sacerdotes (defectus sane plorandus) etiam Ecclesiarum Rectores, maxime ruralium qui idonei sint ad tales in calendario rite inducendas variationes, et recte ordinanda officia, quae amo-

venda sunt; hinc iis in Ecclesiis, hisce in casibus, plura praepostere fiunt, plura omittuntur.

Neque pro nihilo sunt habendae difformitas et diversitas inde exurgentes; quibus ut minori quam fieri possit difficultate obviam eatur, S. R. C. statuit translationes perpetuas super calendario dioecesano iam formato agendas esse. Quae lex nil contra Rubricam de translatione decernit, sed tantum determinat modum et ordinem translationum. Et quamvis haec lex precise translationes perpetuas seu repositiones fixas respiciat, adeoque directe ad accidentales translationes extendenda non sit, attamen nulla alia lex prohibet, quominus idem ipsum principium his applicetur. Rubrica enim eumdem in modum loquitur et de repositione perpetua et de accidentali translatione; imo hanc tantum respicit directe; quare ergo principium quod per Decreta supracitata statuitur pro repositione perpetua, ad accidentales translationes applicari non potest? Si quod festum perpetuo reponi potest post aliud quod ipsum alias sequeretur, et non reputatur inconveniens, etsi semel pro semper de facili recte coordinari potuerint, magnum ne erit, si hoc aliquando accidat ob translationes accidentales, quae cum quotannis diversae occurrant, non ita facile recte ordinari poterunt? Cum igitur in Rubricis et Decretis nihil revera habeatur in contrarium, videtur saltem quod ita fieri possit.

Haec, salvo meliori iudicio, et sine praeiudicio Reverendissimi solutoris sententiae, quae universali, concedimus, agendi rationi respondet liturgicas leges apprime callentium, non tamen superiorum plurimarum Ecclesiarum praxi, qui parum ut sunt rerum liturgicarum imbuti, localium festorum tantum solliciti, impedita officia ad primam in dioecesano calendario sedem liberam, faciliori labore, assignant.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE SEPTEMBRI PROPOSITAE

Propositio.

Alicubi occurrit Dedicatio Ecclesiae cum Patrocinio S. Ioseph, Dominica III post Pascha recolendo; cumque hoc festum transferri certo debeat, dubitatur de die in quo assignandum sit: an videlicet in prima Dominica sequenti libera, an die prima libera mensis, an denique sine assignatione relinquendum, et in singulis annis dies prima libera post festum illi statuenda. Quid agendum?

Solutio [1].

Licet casus noster nimia claritate non sit propositus, nihilominus satis intelligitur agi de impedimento perpetuo, dicit enim: *an denique sine assignatione relinquendum, et singulis annis dies prima libera statuenda.* Si *singulis annis,* ergo impedimentum est perpetuum.

Casus porro noster sic clarius proponendus videtur: Alicubi agitur Dedicatio Ecclesiae propriae in Dominica III post Pascha, qua die ergo celebrabitur Patrocinium S. Ioseph? Num in Dominica prima libera? num in die fixa mensis? num sine assignatione fixa relinquendum?

Etenim, si ageretur de occurrentia accidentali, quaestioni locus non esset, ut omnibus perspicue patet.

[1] De tribus ad nos missis solutionibus, una cum toto coelo ab alia differat, hanc selegimus publicandam, non sine aliquo addito, eo quod et solidioribus argumentis innititur, et liturgicis principiis magis visa est consona. *Redactio.*

Dicendum est ergo quod, in loco, ubi casus supponit dari impedimentum perpetuum inter Dedicationem propriae Ecclesiae et Patrocinium S. Ioseph, iam agebatur in Dominica III festum ipsum Dedicationis, ante decretum generale de anniversario dedicationis Ecclesiae **3881**, v. quo limitantur dies assignationis. Etenim, si festum Dedicationis assignatum esset post dictum S. R. C. certo certius non adprobavisset talem assignationem Dedicationis, in Dominica III, utpote iam occupata a Patrocinio, quod est 2ae classis.

In citato namque decreto 4 Februarii 1896. n. **3881**, cautum est § V, quod anniversarium Dedicationis Ecclesiae assignari utique potest ab Episcopo in actu ipso consecrationis, diei dominicae, *exceptis tamen duplicibus 1 et 2 classis universalis Ecclesiae.*

Igitur si, dicto in loco, Ordinarius recursum non habuit ad S. R. C., ut statueret festum Patrocinii, quatenus perpetuo impeditum, in Dominica V post Pascha celebrandum, recurrat hodie, et sic solutio huius quaestionis in promptu esset.

Nihilominus, quoniam, ut casus supponit, S. R. C. nihil ad rem disposuit, ad solvendam quaestionem nobis non restat nisi onus invocandi Rubricarum dispositiones.

Iam diximus; agitur in casu de impedimento *perpetuo*: igitur applicandae sunt leges translationis, seu assignationis perpetuae, nempe Festum Patrocinii a sua sede, *mobili* quidem ob mobilitatem Paschatis, sed *fixa* in genere suo, ob assignationem factam ad Dominicam tertiam et non aliam, assignetur in die libera iuxta Rubricas. Advertendum tamen, quod Pius Pp. IX voluit, ut Patrocinium S. Ioseph celebraretur tempore paschali, quasi ad compensandam minorem festivitatem, qua agitur festum principale S. Ioseph ob moestitiam quadragesimae.

His non obstantibus, hic et nunc festum Patrocinii S. Ioseph nullo privilegio gaudet supra alia festa 2 cl. secundaria, sed tam in occursu, quam in concursu et repositione dispo-

sitiones generales Rubricarum et Decretorum sequitur. Hinc superveniente alio festo duplici 2 cl. primario, vel secundario quidem, sed potioris dignitatis intrinsecae, vel fixum, huic cedere debet locum. Quae occurrentia, accidentaliter, de facili evenire potest; sed perpetuo, difficiliter valde. Si enim, post istitutum festum Patrocinii, aliud festum Dominicae tertiae post Pascha, affixum fuerit; cum hoc absque indulto S. R. C. fieri minime potuisset, eadem S. C. procul dubio diem assignasset pro festo Patrocinii recolendo; quod si non fecit, et tantummodo disposuit ut reponeretur iuxta Rubricas; et cum similes casus de facili accidere possint in calendariis peculiaribus, hinc necesse est ad solutionem quaestionis devenire.

Ac imprimis, certum est, quod non sit amandanda repositio per annos singulos. Impedimentum enim perpetuum perpetuam petit remotionem, ac repositionem fixam iuxta Rubricas, quae nullam distinctionem in casu statuunt an festum impeditum fixum sit an mobile; nec ulla ex opposito adduci potest ratio vel inconveniens.

Perpetuo igitur reponendum. Sed quanam in sede? mobili an fixa? Videtur enim festum mobile, in mobili sede amandandum esse, quae utique dies Dominica esse oporteret, praesertim in casu. Cum enim pro aliquo festo dies Dominica assignatur hoc fit ut celebretur in populo, quin dies festivi augeantur. Impedito igitur perpetuo, ne celebretur die, ut ita dicam, sua, potiorem ob festum, in alia die Dominica reponendum videretur ut in populo celebrari valeat. Sed obstant Rubricae et Decreta, quae prohibent omnino, ne in die Dominica quacumque reponatur quodcumque festum absque S. Sedis indulto.

Singulare prorsus est privilegium, quo gaudet festum VII Dolorum B. M. Virginis, Dominica III Septembris celebrandum. Rubrica enim specialis statuit, quod *impedita dicta III Dominica ob occursum duplicis 1, vel 2 classis, vel ali-*

cuius diei octavae, vel duplicis maioris primarii, vel potioris dignitatis, festum VII Dolorum transfertur in proximiorem sequentem Dominicam, simili modo non impeditam [1].

Si eodem privilegio gauderet Patrocinium S. Ioseph, quaestio nostra facillime solveretur; sed, ut diximus, singulariter hoc tributum fuit tantummodo festo VII Dolorum. Cum e contra, pro hoc festo Patrocinii S. Ioseph decreta expresse decernunt reponendum esse in primam diem liberam iuxta Rubricas; quod si S. R. C. voluisset ut reponeretur in die Dominica, certo certius dixisset.

Cum igitur in die Dominica reponi non possit, ut reponeretur in sede mobili, deberet assignari in aliqua feria; sed ad quid, cum nonnisi per officium recoli possit? et absque causa frequenter impedirentur officia fixa? Merito igitur repositio in sede mobili, etsi in feria, non probatur. Quod si peculiaribus in casibus hoc praescribatur in Rubricis, primo hoc accidit in repositione accidentali, et secundo hoc ex peculiaribus causis statutum est. Non igitur reponendum in sede mobili, sed assignandam sedem fixam, iuxta Rubricas; nempe prima dies libera.

[1] Mirum prorsus videtur et sine exemplo hoc privilegium! quod forsan non erat in mente Pii Pp. VII, qui festum VII Dolorum Dominica tertia Septembris instituit. Suo enim decreto videtur statuisse, quod FESTUM VII Dolorum in Dominica IV Septembris, vel in una ex Dominicis sequentibus usque ad Avventum celebraretur, quando perpetuo impeditum foret a festo excellentiori. E contra dictum decretum ab auctoribus aliter intellectum est; et quod de impedimento perpetuo dictum erat, ad impedimentum quoque accidentale applicavere, ita ut nunc et in Rubrica ita acceptum fuit.

Festum VII. Dolorum inter secundaria adnumeratur in catalogo; et tamen gaudet hoc privilegio translationis, quod nulli alii festo primario, vel solemniori vel maioris dignitatis tributum unquam fuit. Imo, non *festo* VII Dolorum, hoc privilegium donatum est, sed *officio* eius; compertum est enim, quod impedita tertia Dominica Septembris *festum* VII Dolorum in populo eadem Dominica agitur, et in una ex sequentibus Dominicis non restat recolendum nisi *officium* eius, quod auget admirationem.

Sed hic haerent aquae; quaenam enim est *prima* dies libera post festum mobile; praesertim in casu cuius mobilitas percurrit longum temporis spatium, et vagatur duobus in mensibus?

Videretur primam diem liberam illam esse, quae primo occurrit post primam sedem; tum enim semper prima erit: sed obstat quod tum reponeretur frequentius antequam occurreret festum ipsum; quod inconveniens videtur et contra spiritum saltem, nisi etiam litteram Rubricarum. Item eveniret etiam aliquando, quod, eadem ex causa iterum amoveri oporteret.

Ergo, ad perpetuam celebrationem Patrocinii S. Ioseph, in casu nostro, assignanda erit talis dies libera, quae occurrat omnibus in casibus, post Dominicam III a Paschate.

Quia vero maturior sedes, pro festo sancto Paschatis est dies 25 Aprilis, ac proinde pro Dominica III post ipsam, dies 16 Maii, Patrocinium in casu nostro assignetur fixe in prima die libera post diem 16 Maii, et sic leges rubricales omnino, et perfecte observabuntur.

Hoc modo scopus festivitatis extra quadragesimam in tuto erit, et celebrabitur, proculdubio nunquam ante, sed semper post Dominicam III a Paschate, a qua amotum fuit.

Ad quaestionem ergo nostram sic respondendum putamus: Patrocinium S. Ioseph *perpetuo* impeditum a festo maioris ritus vel dignitatis, celebrandum erit, non in prima Dominica libera post III a Paschate, non relinquendo illud sine assignatione, et in singulis annis in prima die libera post Dominicam III transferendum, hoc enim novum esset in Liturgia, bene vero assignandum erit in die prima libera post, 16 Maii, ut supra explicavimus.

QUAESTIO SOLVENDA PRO MENSE NOVEMBRI 1901.

In Missa votiva privata vel solemni, sed non pro re gravi neque pro publica Ecclesiae causa, infra octavam B. V. M. vel alicuius Sancti, quaenam erit tertia Oratio?

APPENDIX

E S. R. U. Inquisitione.

I.

Tria decreta quoad devotionem erga Animam SS.mam DOMINI N. I. C.

Feria IV, die 1 Maii 1901.

Delatis ad Supremam Congregationem S. Officii supplicibus litteris, una cum nonnullis precandi formulis, pro adprobatione devotionis erga SS.mam Animam D. N. I. C. Emi DD. Cardinales Inquisitores Generales decreverunt: « Publicentur decreta condemnatoria devotionis, de qua sermo. »

Haec decreta sunt sequentia:

I. Cum a S. Rituum Congregatione nonnulla ad S. Officium remissa fuissent circa devotionem erga SS.mam Animam D. N. I. C., feria IV, die 10 Martii 1875, decretum fuit: « Providendum ne in « pubblico Ecclesiae cultu, praetextu devotionis ergo SS.mam Ani- « mam Christi, improbandae novitates in imaginibus et precatio- « num formulis aliisque rebus sacris irrepant aut, inconsulta « S. Sede, quidquam novi inducatur, maxime si deriventur ex de- « votionibus aut visionibus nec examinatis nec adprobatis. In « scriptis vero ad S. Rituum Congregationem missis nonnulla repe- « riri minime probanda, sine quorum emendatione permittendum « non esse ut illa in vulgus edantur. »

II. Anno 1883, exhibitis precibus pro fundatione Instituti pro adoratione Animae Ss.mae D. N. I. C., feria IV die 10 Maii eiusdem anni, iidem E.mi Patres decretum tulere: « S. Congregatio precibus respondet: Negative. Idque scribendum Episcopo, qui retrahat indulgentias adfixas orationibus et cuilibet earum verbo,

fidemque non adhibeat revelationibus, de quibus agitur; et communicetur Episcopo decretum latum anno 1875. »

III. Tandem eodem anno, eademque feria IV, ad examen vocata quaedam precandi formula Animae Iesu Christi, E.mi Patres eam emendandam mandarunt, et communicandum Episcopo, qui eam probaverat, decretum supra relatum.

Quae omnia in solita audientia a SS.mo D. N. Leone Pp. XIII adprobata et confirmata fuere.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

II.

S. Olea non debent transmitti per laicos, nisi deficientibus clericis.

Beatissime Pater,

Ludovicus M. Fink O. S. B. Episcopus Lavenworthien. in Statu Kansas Amer. Septentr. e Statibus Unitis, ad pedes S. V. quam humillime provolutus, exponit ac petit ut sequitur:

I. Brevi tempore ante Pascha anni praeteriti in ephemeride Americana pro Rev.do Clero edita quaestio discussa est, utrum sacra Olea ad Sacerdotes missionarios, salva conscientia, per *Express* transmitti possint? *The Express* est societas mercatoria, quae res varias transmittendas recipit, verbi gratia: esculenta ac poculenta, pecuniam, aves, canes, feles, vitulos, sues, aliaqua animalia resque diversas. Personas illas res tractantes generaliter sunt haeretici vel ethnici, inter quos hic et nunc vix catholicus invenitur.

II. Transmissio per *Express* S. Oleorum multis Sacerdotibus valde arridet quia minori pecuniae summa fit quam eorum itinere ad urbem Cathedralis Ecclesiae, minorem temporis iacturam Sacerdotes patiuntur, et meliori modo ad sacras functiones Hebdomadae Sanctae et Paschatis sese praeparare valent.

III. Multis Episcopis et Sacerdotibus talis S. Oleorum transmissio scandalosa permixtio rei sacrae cum rebus profanis, et

contra religiosam pietatem; aliis autem perfecte legitimus modus ac nullam indecentiam prae se ferens esse videtur. Addere licet, quod Episcopi, tali modo transmissionis adversi, tamquam viri morosi, nimis rigorosi, ac fautores viarum aevi medii habentur. Res cum ita sint, a S. Sede Apostolica petitur solutio huius questionis.

I. Licet-ne sacra Olea ab Episcopo consecrata per *Express* ad Sacerdotes transmittere, ut supra expositum est?

II. Licet-ne illa sacra Olea ad Sacerdotes mittere per viros laicos, quo Sacerdotum convenientiae valde consulatur?

Feria IV, die 1 Maii 1901.

In Congregatione Generali habita ab E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis praehabitaque RR. DD. Consultorum S. O. voto, iidem E.mi respondendum censuerunt:

Ad I: *Non licere.*

Ad II: *Deficientibus clericis, affirmative, modo constet de laicorum, qui ad id deputantur, fidelitate.*

Insequenti vero feria VI, die 3 eiusdem mensis et anni, in solita relatione a R. P. D. Commissario Gen. S. Officii facta Ss.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII, idem SS.mus D.nus responsionem E.morum Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

E S. CONGR. CONCILII

Circa litteras testimoniales pro S. Ordinatione.

I. Maximianus Episcopus Guadixensis, in Hispania, sequentia dubia S. Congr. Concilii, die 15 Martii 1897 exposuit, nimirum:

« Utrum pro illis candidatis, qui milites aliquando fuerunt, expostulandae sint litterae testimoniales super eorum vita et moribus a Provicario Generali castrensi signatae et rubricatae *toties quoties* Sacrum Ordinem suscepturi sunt, vel sufficiat semel eas

adhibuisse, si ad militiam non fuerint regressi post Ordinis cuiusvis susceptionem. Ad pleniorem rei intelligentiam, animavertendum venit, quod per decretum novissimum anno 1894 datum Romae, Hispaniarum Episcopi Ordines nequeunt conferre illis, qui militiae nomen dederunt, nisi prius bonum testimonium de vita et moribus eorumdem habeant a praedicto Provicario praebendum. »

S. Congregatio haec respondit: *R.me D.ne uti Fr.:*

Relatis in S. Congregatione litteris tuis, die 15 Martii p. p. circa promotionem ad Sacros Ordines eorum, qui militiae addicti fuerunt, E.mi Patres ad dubia in praefatis litteris proposita rescribendum censuerunt: « *Non teneri.* » Idque notificari mandarunt, prout per praesentes exequor, Amplitudini Tuae, cui me profiteor

Romae, 5 Aprilis 1897.

Uti Fratrem:

A. Card. Di Pietro, *Praef.*

† B. Arch. Nazianzen., *Secret.*

II. Mense vero Decembri eiusdem anni, idem Praelatus, praeter alia postulata a Sanctitate Sua exquisivit:

« Utrum informationes et monitiones, quae fiunt de vita et moribus eorum, qui ad suscipiendos maiores Ordines sunt parati, fieri debeant tantummodo in iis locis ubi post acceptas ultimas informationes ad ordinem quem, iam susceperint commorati sint, an vero pro unaquaque ordinatione etiam in aliis omnibus locis, in quibus aliquando ordinandi in toto vitae decursu domicilium habuerint. »

Sacra autem Congregatio haec reposuit:

« *R.me D.ne, uti Fr.:*

« Relato in S. Cong. Concilii postulato tuo quoad ordinandos, qui in aliena Dioecesi prius morati sunt. E.mi Patres rescribendum censuerunt: « *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam. » Idque notificari mandarunt, prout per praesentes exequor, Amplitudini Tuae, cui me profiteor

« Romae 13 Maii 1899.

Uti Fratrem:

A. Card. Di Pietro, *Praef.*

† B. Arch. Nazianzen., *Secret.*

E S. CONGREG. INDULGENTIARUM.

De Guatemala.

I.

DE PIIS OPERIBUS
SODALIBUS CONFR. BEATAE MARIAE VIRGINIS A MONTE CARMELO
AD ASSEQUENDUM PRIVILEGIUM SABBATINUM INIUNCTIS.

Archiepiscopus de Guatemala huic S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia dirimenda proponit, quae ad pia quaedam opera referuntur a Confratribus B. Mariae Virginis a Monte Carmelo praestanda, in eum finem ut privilegio, quod nuncupatur *Sabbatinum*, perfruantur:

I. *Estne necessarium ut Confratres B. Mariae Virginis a Monte Carmelo recitent parvum officium prouti extat in Breviario romano, etsi maior pars populi linguam latinam penitus ignoret?*

II. *Ii Confratres, qui legere nesciunt, et ideo loco recitandi parvum officium B. Mariae Virginis servare tenentur abstinentiam feria IV et die Sabbati, tenentur quoque eam servare feria VI, uti reapse tenentur fideles non americani latini?*

III. *Tenenturne pariter servare omnia ieiunia Ecclesiae universalis, quin gaudere valeant amplissima dispensatione nuper data degentibus in America latina, ex decreto S. Congregationis Neg. EE. EE., die 6 Iulii 1900.*

Et Emi Patres, in Palatio Vaticano coadunati, propositis dubiis, die 11 Iunii 1901, respondendum mandarunt:

Ad Ium: *Affirmative, nisi quis pertineat ad ritum a S. Sede approbatum, qui alia lingua utatur, iuxta Decretum huius S. C. diei 18 Augusti 1868: sed supplicandum SSmo, ut in privata recitatione vulgari lingua uti liceat.*

Ad IIum: *Negative, ad effectum fruendi privilegio Sabbatino.*

Ad IIIum: *Supplicandum SSmo, ut Confratres B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, quod attinet ad ieiunia, uti valeant indulto dioecesano, facta Confessariis facultate commutandi singulis pe-*

tentibus abstinentiam feriae IV et Sabbati in alia opera; atque utrumque valere pro omni regione declarare dignetur. Contrariis quibuscumque, ac praesertim Capuana, *3 Decembris 1892, minime obstantibus.*

De quibus facta relatione SSmo Dño Nostro Leoni Pp. XIII in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 14 Iunii 1901, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit, et benigne annuere precibus in dubio I et III expressis dignata est.

Datum Romae ex Sacreteria eiusdem S. Congregationis die 14 Iunii 1901.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro Archiep. Amiden., *Secretarius.*

Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium

II.

DE CONSENSU ORDINARII REQUISITO
AD EXERCENDAM FACULTATEM BENEDICENDI CORONAS, CRUCES, ETC.
CUM APPLICATIONE INDULGENTIARUM APOSTOLICARUM
ET S. BIRGITTAE.

Cum in Rescriptis S. Congregationis Indulgent. vel in Brevibus Apostolicis, etc., quibus tribuitur facultas benedicendi Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas ac Numismata, eisdemque Indulgentias Apostolicas et S. Birgittae adnectendi, clausula apponatur « *de consensu Ordinarii loci* »; circa sensum huius clausulae non semel dubitatum est; hinc Praepositus generalis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium, circa eiusdem clausulae intelligentiam, sequentia dubia huic S. Congregationi solvenda proponit:

I. *Utrum huiusmodi consensus ita necessarius retineri debeat, ut, si desit, Indulgentiae sint omnino invalidae?*

Et quatenus affirmative:

II. *A quonam Ordinario huiusmodi consensus dari debeat?*

III. *Et si utens hac facultate Romae commoretur, ubi facultas benedicendi exerceri nequit, sufficeretne consensus E.mi Urbis Vicarii aut Vicesgerentis ad benedicendum, an ab alio extra Urbem Ordinario, et a quonam, foret exquirendus?*

Et Emi Patres, in Vaticano Palatio coadunati die 11 Iunii 1901, propositis dubiis responderunt:

Ad Ium: *Detur instructio.*

« Instructio.

« 1° Convenit ut qui facultatem benedicendi Coronas, Cruces, « Rosaria, Numismata, etc., cum applicatione Indulgentiarum Apo« stolicarum et S. Birgittae obtinere cupit, si sit e clero saeculari « litteris commendatitiis proprii Ordinarii munitum supplicem li« bellum exhibeat, si vero sit, Regularis, Superioris sui Ordinis « vel Instituti a S. Sede approbati.

« 2° Ut valide praefata facultas exerceatur, opus erit, ut Sa« cerdos ad excipiendas Sacramentales Confessiones, saltem vi« rorum, sit approbatus.

« 3° Ad eam facultatem licite exercendam requiritur consensus « Ordinarii loci, in quo quis ea uti velit, firmo manente, quoad « Regulares exemptos, decreto huius S. C., diei 8 Iunii 1888. Hic « autem consensus optandum ut sit expressus; sufficit tamen « etiam tacitus vel implicitus, et in aliquo casu, quando practice « aliter fieri nequeat, sufficit etiam consensus prudenter prae« sumptus. »

Ad IIum et IIIum: *Provisum in I°.*

Et SSmus Dñus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita, die 14 Iunii 1901, ab infrascripto Cardinali Praefecto, resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 14 Iunii 1901.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secretarius.*

III.

DECRETUM.

Pietati Christifidelium fovendae nihil est tam aptum, nihil tam efficax, quam frequens Dominicae Passionis meditatio, in qua dum ipsi recolunt quanta Verbum Dei Caro factum pro nobis pati dignatum est, eorum corda ad poenitentiam excitantur, et ad redamandum Christum Iesum vehementer inflammantur.

Iam vero inter plura, quae id praestant, pia exercitia, illud procul dubio prae ceteris eminet, quod a *Via Crucis* noncupatur, a S. Leonardo e Portu Mauritio primitus invectum, et in universa catholica Ecclesia tam salubriter propagatum.

Quoniam vero plures vel occupationibus distenti, vel valetudine laborantes, prohibentur quominus integro huiusmodi pio Exercitio vacent, nonnulli pietatis zelo praestantes viri, ne spiritualium fructuum ex eodem Exercitio manantium copia deperdatur, Sodalitates quasdam instituere excogitarunt, ex quatuordecim sociis constantes, qui singuli unam quotidie sibi attributam ex quatuordecim stationibus meditando peragant, ad instar Sodalitatum *Rosarii Viventis.*

Hinc Ss.mo D.no Nostro Leoni Pp. XIII preces humiliter sunt delatae, ut praedictas Sodalitates, earumque leges approbare, et nonnullas sociis Indulgentias tribuere dignaretur.

Has porro preces, relatas in audentia habita die 16 Augusti 1901, ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, Eadem Sanctitas Sua peramanter excepit, Sodalitatesque *Viae Crucis Viventis* summopere commendans approbavit, earumdemque leges, prout in subiecto schemate prostant, auctoritate Sua sancivit, servandasque mandavit, simulque Indulgentias omnes in indice huic Decreto inserto contentas in perpetuum benigne concessit, defunctis quoque applicabiles.

LEGES SERVANDAE

IN ERIGENDIS SODALITATIBUS VIAE CRUCIS VIVENTIS.

I. Exercitium *Viae Crucis Viventis* instituitur, ad instar *Rosarii Viventis.*

II. Via Crucis *vivens* nihil aliud est, quam invitamentum atque tyrocinium ad completam Viam Crucis, iuxta formam in Ecclesia

catholica adhiberi solitam, uberiori aedificationis fructu, atque indulgentiarum ac privilegiorum a Ss. Pontificibus concessorum thesauro multo locupletiore ditatam.

III. Quaelibet Sodalitas ex quatuordecim sociis constat, et nonnisi in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis sive semipublicis, vel etiam in Communitatibus, ubi Stationes Viae Crucis rite erectae existunt, constitui debet.

IV. Ius constituendi Sodalitates in toto Ordine, seu ubique locorum, residet in Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci; inter limites propriae Provinciae in Provincialibus; in respectivo districtu in Guardianis eorumque vices gerentibus, sive per se, sive per suos subditos ad id deputatos.

V. Spectat iure primario ad Ministrum Generalem ubique locorum deputare Directorem Sodalitatum Religiosum eiusdem Ordinis et, ubi hic desit, Sacerdotem sive saecularem, sive regularem, qui personarum ad novam Sodalitatem pertinere cupientium catalogum conficiat, atque custodiat. Idem possunt Provinciales, nisi auctoritas Ministri Generalis obstet, intra limites propriae Provinciae, et etiam Superiores locales, dependenter tamen a Ministro Provinciali.

VI. Ad Directorem spectat nominare Zelatores et Zelatrices, qui vel quae personas inscribendas prudenter quaerant, eidemque Directori proponant.

VII. Ad exercitium Viae Crucis viventis rite peragendum, et ad Indulgentias eidem adnexas lucrandas, requiritur meditatio Stationis unicuique per sortem adsignatae, et recitatio trium *Pater, Ave* et *Gloria*, manu tenendo Crucifixum ex materia solida confectum, et ad hoc benedictum sive a Ministro Generali, sive a Ministro Provinciali in respectiva Provincia, vel a Superiori locali, aut etiam ab ipso Directore, vel alio Sacerdote a Ministro Generali delegato.

INDEX INDULGENTIARUM
SODALITATIBUS VIAE CRUCIS VIVENTIS TRIBUTARUM.

Omnes Christifideles ab aliquo Directore in Sodalitatem admissi, sequentes Indulgentias lucrari possunt:

I. Primo die festo postquam Sodalitatem adiverint *plenariam Indulgentiam*, si eodem die, vere poenitentes, confessi, S. Synaxim susceperint.

II. Festis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Corporis Christi, Pentecostes, Ss.mae Trinitatis; item singulis feriis sextis mensis Martii, nec non festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, SS. Stigmatum S. P. Francisci, et eiusdem die natali, *plenariam Indulgentiam*, dummodo quisque sodalium quotidie sibi adsignatam Stationem sedulo sancteque peregerit, mense integro, simulque contritus et confessus S. Synaxim sumpserit, et aliquam Ecclesiam, diebus supra statutis, visitaverit, et inibi aliquandiu ad mentem Summi Pontificis preces effuderit.

III. Die semel quotannis eligenda item *plenariam*, si quilibet e Sodalibus per annum integrum quotidie Stationem sibi propriam peregerit, simulque memorata die vere contritus, confessus et sacra Synaxi refectus, uti supra oraverit.

IV. Pro quotidiano exercitio *centum dies* diebus ferialibus; *septem annorum et totidem quadragenarum* diebus dominicis aliisque per annum festis, nec non per totam maiorem hebdomadam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 16 Augusti 1901.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amidem., *Secretario.*
Iosephus M. Canonicus Coselli, *Substitutus.*

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Joseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

PROPRIETAS LITERARIA.

G. B. Agnolucci, *gerente responsabile.*

Roma, 1901. — Tipografia Cooperativa Sociale.